VAl 1533630

OFFICIA SANCTORUM PATRONORUM

Recitanda in Civitate, & Diœceſi Neapolitana.

PARS HYEMALIS.

KALENDARIUM SANCTORUM,
Quorum Officia ſunt recitanda in Civitate, & Diœceſi Neapolitana.

November.

28 Jacob. Conf. Patr. *dupl.*

December.

3 Franciſci Xaverii Conf. Patr. *dupl.*
4 Barbaræ Virg. & Mart. *ſemid.*
6 Nicolai Epiſ. Conf. Patr. *dupl.*
14 Agnelli Abbatis Patroni Tutelaris, *dupl.*

Januarius.

17 Antonii Abbatis Patr. *dupl.*
19 Tranſlat. Reliq. S. Thomæ de Aquino Conf. Patr. *dupl.*

Februarius.

3 Blaſii Epiſ. & Mart. Patr. *dupl.*

Martius.

7 Thomæ de Aquino Conf. Doct. Patr. *dupl.*
19 Joſeph Conf. Sponſi B. M. V. Patr. *dupl.*

Aprilis.

2 Franciſci de Paula Conf. Patr. *dupl.*
5 Tranſl. S. Athanaſii Epiſc. Patr. *ſemid.*
27 M. Ægyptiacæ Patr. *dupl.*
29 Petri Mart. Patr. *dupl.*
30 Severi Epiſc. Conf. Patr. *dup.*

Majus.

In prima Dominica Tranſlatio S. Januarii Epiſ. Mart. Patr. principalis, dupl.
14 Pompeiani Epiſc. Neap. *dupl.*
17 Reſtitutæ V. M. *dupl.*
23 Euphebii Epiſ. Conf. Patr. *dupl.*
25 M. Magdalenæ de Pazzis V. Patr. *dupl.*
26 Philippi Nerii Conf. Patr. Cleri, & Civitat. *dupl. 2 claſſ.*

Junius.

13 Antonii de Padua Conf. Patr. *dupl.*

FESTA NOVEMBRIS.

Die 28. Novembris.

IN FESTO B. JACOBI

Conf. Patr. Neap. dupl.

Oratio, Deus, qui nos, *de commun.*

In 1. noct. Juſtus, &c.

In 2. noct. B. Jacobi dies, &c.

In 3. noct. homil. in Evang. Sint lumbi, &c. *de commun. Conf. non Pontif.*

In 2. veſp. comm. S. Saturnini m.

FESTA DECEMBRIS.

Die 3. Decembris.

IN FESTO S. FRANCISCI XAVERII

Conf. Patr. Neap. dup.

Omnia, ut in Breviario, lectiones tamen 1. Noct. Juſtus *de communi.*

In 2. veſp. comm. S. Barbaræ Virg. Mart. & fer. Advent.

Die 4. Decembris.

IN FESTO SANCTÆ BARBARÆ

Virg. & Mart. Semid.

Oratio.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula, etiam in ſexu fragili victoriam martyrii contuliſti: concede propitius, ut qui beatæ Barbaræ Virginis, & Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum, &c.

Lect. 1. Noct. de Scriptura occur.

In 2. Nocturno.

Lectio iv.

BArbara Virgo Nicomedienſis, ob inſignem corporis elegantiam à Dioſcoro Patre nobiliſſimo Viro in turrim incluſa, ab omnium oculis arcetur; ubi multa ſecum pie, religioſeque meditata, tanto amore Chriſtianæ Religionis exarſit, ut non modò nuptias à patre oblatas reſpuerit; verùm etiam ſe Chriſtum colere profeſſa, nefarium Idolorum cultum magna libertate perſtrinxit.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Et deducet te mirabiliter dextera tua.

Lectio v.

DIoſcorus ita filiæ verbis excanduit, ut eam Præſidi Marciano, quod à propoſito non deſiſteret, excruciandam tradiderit. Is illam primùm blanditiis, præmiis propoſitis, & honoribus, ad paternæ ſuperſtitionis cultum eſt conatus adducere. Cum verò à Fidei conſtantia nullis verborum illecebris deduci poſſet, omnis tormentorum acerbitas in eam convertitur. Nervis enim bubulis graviſſime cæſa, in obſcuriſſimum carcerem detruditur: ubi, etſi omni humana ope deſtituta, divinitùs tamen curata eſt.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem. * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Propterea.

Lectio vi.

QUod ubi ſenſerunt Chriſtianæ fidei hoſtes eò furoris, atque dementiæ progreſſi ſunt, ut in eam, & carceris maceratione, & lampadum adustione, & mammillarum præciſione ſuam omnem crudelitatem depromſerint. Neque tamen his contentus Dioſcorus, paternæ charitatis oblitus, filiæ ſua manu caput amputare non dubitavit, cujus anima in Cœlum ad duplicem virginitatis, & martyrii palmam evolavit.

℟. Afferentur Regi Virgines poſt eam, proximæ ejus * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Afferentur. Gloria. Afferentur.

In 3. Noct. homil. in Evangel. Simile erit decem Virginibus.

In 2 veſp. comm. fer. Adv. & S. Sabbæ Ab.

Die 6. Decembris.

IN FESTO S. NICOLAI

Epiſc. Conf. Patr. dupl.

Omnia ut in Breviar. lect. verò 1. Noctur. Fidelis ſermo, *de communi.*

In 2. veſp. comm. S. Ambroſii, & fer. Adv.

Die 14. Decembris.

IN FESTO S. AGNELLI ABBATIS

Neap. Civitatis Tutelaris Patr. dup.

In 1. veſp. omnia de commun. Confeſſ. non Pontif.

Oratio.

DEus, qui nos per B. Agnelli [illegible] ſalutiferæ Crucis vexillo, à Barbarorum incurſibus liberari ante hinniſſi ter deprecamur, ut ejuſdem præſidio, ab omnibus inviſibilium hoſtium inſidiis eruamur. Per Dominum noſtrum, &c.

Deinde fit commemor. S. Luciæ V. Mart. Octavæ Concept. B. M. V. & feriæ Adventus.

In 1. Noct. lect. Juſtus, &c. *de communi.*

In 2. Nocturno.

Lectio iv.

AGnellum Neapolitanæ Urbis Tutelarem Parentes diù ſteriles à Cœlorum Regina impetrarunt; à qua etiam in futuræ manifeſtationis preſagium, hoc nomine Puerum appellandum didicerunt. Editum in lucem, atque à Matre ad Eccleſiam allatum poſt vigeſimum à partu diem, Angelicæ ſalutationis ſonum Virginem clara voce ſalutavit. Decimumquintum annum agens, relicta paterna domo, ad ſpeluncam Urbi proximam ſe contulit, ut Deo liberiùs famularetur: mortuis deinde parentibus, Xenodochium hereditario patrimonio conſtruxit; & ut erat charitate ferventiſſimus, ſe, ſuaque omnia ægrotorum miniſterio addixit.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eum ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

℣. Juſtum deduxit Dominus per vias rectas, & oſtendit illi regnum Dei. Et.

Lectio v.

CUm autem ejus ſanctitatis fama prodigiis illuſtrata longiùs diffunderetur, ac plurimi ad eum indies confluerent, nominis ſui celebritatem exoſus, aſperrimas in montes ſeceſſit, ubi divini Agni lectator, ubi ſolis herbis, & aqua contentus aliquandiu vixit; ſed cœleſti monitu ad priſtinum rediit Xenodochium; & in Cœnobio à S. Gaudioſo Epiſcopo Bithinienſi haud procul extructo, monaſticam vitam duxit, cui etiam per aliquot annos ſanctiſſime præfuit. Demum fama miraculorum, vitæque innocentia illuſtris, poſtquam ad Aras ſacras eſſet operatus, obdormivit in Domino decimo nono Kalendas Januarii ætatis anno ſexageſimo primo, Mauritio imperante.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum: ſtolam gloriæ induit eum: * Et ad portas Paradiſi coronavit eum.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad portas.

Lectio vi.

SAcrum corpus Fortunatus tunc temporis Neapolitanus Antiſtes accerſitis finitimis Epiſcopis, in Æde Beat. ſs. Virginis, S. Agnelli nomine poſtea inſignita, ſummo cum honore, maximoque populi frequentia ſepeliendum curavit. Porrò ob innumera in ſuam Urbe collata beneficia illud præcipue, quòd ſæpe fuerit cum Crucis vexillo viſus Civitatem obſeſſam ab hoſtibus liberare, ſuperque eam manum protendere, Neapolitani Cives quotannis, die illi ſacro, ejus Eccleſiam ſolemni, ac publica ſupplicatione adeunt, & Agnellum ſummum, ut verè Patriæ Parentem, ac Tutelarem, ſingulari cel[e]bratione venerantur.

℟. Iſte homo perfecit omnia, quæ locutus eſt ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi juſtum coram me ex omnibus gentibus.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Quia. Gloria. Quia.

In 3. Nocturno.

Homil. in Evangel. Ecce nos, *de communi Abbatum.*

In 2. veſp. comm. [illegible] Concept. B. M. V. ut in 1. veſp. feſti, item feriæ Adventus, & S. Euſebii Epiſcop. Mart.

FESTA JANUARII

Die 17. Januarii.

IN FESTO S. ANTONII ABBATIS

Patr. Neap. dupl.

Omnia ut in Breviario.

Lect. verò 1. noctur. Juſtus, &c. *de commun. Conf. non Pontif.*

NAPOLI

Die

Die 19. Januarii.

IN FESTO TRANSLATIONIS RELIQUIAR. S. THOMÆ DE AQUINO

Conf. Patron. dupl.

In 2. veſp. Cathedr. S. Petri, fit commem. S. Pauli, & de oct. S. Thomæ.

Antiph. O Doctor optime, Eccleſiæ Sanctæ lumen, Beate Thoma, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio.

DEus, qui nos B. Thomæ Confeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus Translationem colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum, &c.

Deinde fit comm. SS. Martyr. &c. mon.

In 1. Noct. lect. de ſcript. occur.

In 2. Noct. de ejus feſto 7. Martii.

In 3. Noct. homil. in Evang. Vos eſtis ſal terræ, &c. *de commu. Doct.*

℟. 8. In medio, 9. *lect. de comm. SS. Martii, &c. mon.*

In 2. veſp. à cap. de SS. Fabiano, &c. mon. commem. S. Thomæ. Antiph. O Doctor, *ut in 1. Veſp.*

FESTA FEBRUARII.

Die 3. Februarii.

IN FESTO SANCTI BLASII Epiſc. & Mart.

Patr. Neap. dupl.

In 2. Veſp. Purific. et fit comm. S. Blaſii.

In 1. noct. A Mileto, *de commu.*

In 2. noct. 1. lect. prop. 2. & 3. Triumphalis.

In 3. noctur. homil. in Evang. Si quis vult, *de commu.*

FESTA MARTII.

Die 7. Martii.

IN FESTO SANCTI THOMÆ DE AQUINO

Conf. Doct. Patr. dupl.

Omnia, ut in Brev.

FESTA APRILIS.

Die 2. Aprilis.

IN FESTO S. FRANCISCI DE PAULA

Conf. Patr. dupl.

Lect. 1. noct. Beatus vir, *vel 9. ut in Brev.*

Die 5. Aprilis.

IN FESTO TRANSLATIONIS S. ATHANASII

Epiſcop. Conf. Patr. ſemiduplex.

In Civitate, & Suburbiis tantum. Extra Civitat. fit de S. Vincentio Ferrerio Conf. ſemid. ad libit. ut in Breviario.

In hymno Veſper. Hac die lætus meruit ſupremos laudis honores.

Oratio.

EXaudi, quæſumus Domine, preces noſtras, quas in Beati Athanaſii Confeſſoris tui, atque Pontificis Translatione deferimus: & qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos abſolve peccatis. Per Dominum, &c.

Lect. 1. noct. de ſcrip. occur. in Quadrageſima verò, Fidelis ſermo, *de commu. Conf. Pont.*

In 2. Nocturno.

Lectio iv.

ATHanaſius Neapolitanis Ducibus natus, quem Pii Parentes Sancti Athanaſii Alexandrini precibus ſuſceptum, ejuſdemque poſteà invictæ conſtantiæ æmulatorem, hoc appellarunt nomine. A pueritia Clericali militiæ adſcriptus, Beato Joanni Neapolitano Antiſtiti erudiendus traditus eſt; qui doctrina, tanta enituit pietate, literiſque, ut meritò à Leone Quarto Pontifice, Civium precibus annuente, Neapolitanus Epiſcopus fuerit renunciatus, & conſecratus. Eccleſiaſticos proventus, domeſticumque patrimonium in Templorum, Pauperumque inopiam ſublevandam erogavit; multas Saracenorum incurſibus penè dirutas inſtauravit Baſilicas, eaſque prædiis, ſacris veſtibus, vaſiſque pretioſis locupletavit. Miniſtros Altaris Hebdomadarios in Templo maximo à ſe inſtitutos, proprio ditavit ære. Pauperibus, & Peregrinis hoſpitium aperuit; multumque pecuniæ ad captivos è Barbarorum ſervitio vindicandos mera charitate profudit.

℟. Inveni David ſervum meum oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

ABſtinentia fuit incredibili, frugali menſa utens, etiam carnis ſibi perpetuò interdixit. Corpus non cilicio ſolum, flagriſque, ſed graviſſimo etiam plumbi pondere, à cervice ad talos extenſo affligebat, lapideque capiti ſuppoſito, in lectulo humi ſtrato cubabat. A Nicolao Primo Pontifice Romam accerſitus, magno honore eſt habitus, ac Lateranenſi in Synodo, unà cum aliis Patribus, tertio loco aſſidens, Joannem Ravennatem ſchiſmaticum antea contra Eccleſiam, qui poſteà reſipuit, confutavit. Neapolim regreſſus, à Sergio fratris filio, nocte impietatis homine, Athanaſii objurgationes indignante, detruſus in carcerem, indeque Cleri opera cum univerſa Civitatis gaudio ereptus eſt.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

COnſtanter deinde obluctans iniquis contra Eccleſiaſticam libertatem poſtulationibus Sergii, ejus opera depulſus à ſede, quamq; tandem ſuper viginti coactus exulare, plurimas per id temporis ærumnas perpeſſus eſt, quibus tandem confectus, Veruli obiens cœleſtem in Patriam receptus eſt, ætatis anno quadrageſimo primo, Idibus Julii, poſt Chriſtum natum octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Corpus miraculis clarum, Caſſinum primo in montem, mox Neapolim, quinto poſt obitum anno, integrum adhuc repertum, ſolemni ſupplicatione translatum eſt; cujus translationis memoria nonas Aprilis anniverſaria feſtivitate recolitur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deū magnas virtutes operatus eſt: & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omniū populorū.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mūdi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noctur. homil. in Evang. Vigilate, *de commu. cum 2. Veſp.*

Die 27. Aprilis.

IN FESTO S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ

Patronæ duplex.

Offic. de commun. Mulierum Sanctarum.

Oratio.

CLementiſſime Deus, qui omnipotentiā tuā parcendo maximè, & miſerando manifeſtas: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut, intercedente Beata Maria Ægyptiaca, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per Dominum, &c.

In 1. noct. lect. Mulierem fortem.

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

MAria Ægyptiaca in ipſo juventutis flore parentum diſciplinam, & alimentum contemnens, ætatis anno duodecimo in Alexandriæ Urbem clanculùm profugit, annis ſeptemdecim illic impudicè tranſactis, videns Libiorum, & Ægyptiorum plurimos in feſto Exaltationis Chriſti Crucem veneraturos, Jeroſolymam conſcendere, cum eiſdem profecta, neque in itinere, neque in Sancta Civitate quidquam ſuæ intemperantiæ remiſit. Ubi verò ſub ipſius feſtivitatis diem cum reliquis Peregrinis Eccleſiam ingredi ſæpè pertentat, divina virtute ſemper repulſa, cæpit cogitare, unde in tam libero aliorum ingreſſu ſibi toties negaretur introitus.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna. Et deducet te.

Lectio v.

ITaq; in atrio Templi divinitùs edocta, propter peccatorum ſordes ſe ab aſpectu ſanctæ Crucis arceri; corde compuncta, Beatæ Mariæ Virginis, cujus imaginem ibidem conſpexit, ſuffragia, ſuſpiriis, & lacrymis imploravit, firmiter promittens acturam ſe vitæ pœnitentiam. Hac meliori vitæ data ſponſione intra Templum recipitur, ſacroſanctum Crucis lignum adorat, & divina proſpicit arcana, per quæ docetur, quanta ſit pietas Dei erga pœnitentes. In atrium regreſſa eamdem Dei Genitricem rogans, ut pœnitentiæ modum, & locum præſcriberet, vocem audit ſuadentem, ut Jordanis flumen pertranſiret: itinere extemplò accepto, tres nummos à quodam pertranſeunte accepit, quibus totidem panes comparavit.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Propterea. *Lect. vi.*

SAnctiſſimis Sacramentis in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ ad ripa fluminis munita, tempto panis dimidio, in vaſtam ſolitudinem trans Jordanem ſe recepit, ubi reliquo pane, crudiſque herbis annis quadraginta ſeptem ſub intenſo Solis ardore, & hyemis inclementia, abſque ullo corporis tegumento victitavit; Mirùm, quæ dæmonorum inſidias, & animi perturbationes invicta ſuſtinuit. Vila tandem à Zoſima Abbate viro ſanctiſſimo per eandem ſolitudinem aberrante, coram eo omnē vitæ ſuæ rationem enarravit. Mirabili tunc conſolatione repleta, morte præſcia, ad ejus Monaſterium ambulans ſuper aquas Jordanis, acceſſit, ubi ſacroſanctis refecta ſacramētis, in ſolitudinē regreſſa, ſtatim in fine quievit. Illius corpus, miniſterio Leonis terram effodientis, Zoſimas ſepelivit, ejuſq; vitam, & mortem omnibus propalavit, quam Sanctus Sophronius Patriarcha Jeroſolymitanus graviter conſcripſit.

℟. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipſa laudabitur.

℣. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria Patri. Mulier.

In 3. Noctur. homil. in Evang. Simile thesauro, *ut in communi Mulierum Sanctarum.*

Die 29. Aprilis.

IN FESTO SANCTI PETRI MARTYRIS

Patr. dupl.

Lect. 1. noct. Fratres debitores, *de communi plur. mart. reliq. ut in Breviar.*

In 2. Veſp. comm. ſeq.

Die 30. Aprilis.

IN FESTO SANCTI SEVERI

Epiſc. Conf. Patr. dupl. *Oratio.*

DOmine Deus omnipotens, qui B. Severum Confeſſorem tuum, atque Pontificem, ita mirabilem effeciſti, ut ad veritatis teſtimonium mortuum de ſepulchro revocaverit: da quæſumus, ut ipſius interceſſione Majeſtati tuæ fideliter ſerviamus. Per Dominum, &c.

In

Digitized by Google

In 1. Noct. Lectiones de Epiſt. Divi Pauli: Fideliſ ſer. ut in communi.

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

SEverus Neapolitanus, poſt S. Maximum Patriæ præficitur Præſul; qui in munere maximæ ſanctitatis argumenta, virtutumq; præſtitit. S. Ambroſio Mediolanenſi, à quo accepit Epiſtolam, chariſſimus, imò Ethnicis ipſis, teſte Symmaco, Chriſtianæ Religionis alioqui infenſo, maximè laudabilis. Multas Neapoli conſtruxit Baſilicas: illamque præcipuè extra mœnia, Divo Januario ſacram, in qua corpus ipſius Beatiſſimi Præſulis, & Martyris, ex Marciano translatum, propriis condidit manibus; mortiſq; non immemor, ſibi, adhuc vivens conſtrui mandavit ſepulchrum.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluja.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

MUlta præterea Sanctus Epiſcopus admiranda edidit, quorum illud maximè memorandum, quòd cum falſus creditor multam pecuniæ à quadam Vidua repeteret, quod à defuncto ejuſdem marito ſibi debitum mentiebatur, adeòque mater illa, cum filiis ſervituti alibi addicenda: Severus, re cognita, commiſeratione permotus, acceſſitum mendacem illum, unà cum Clero, aliiſque multis ad locum, in quo defunctus jamdiù jacuerat, ſecum duxit; & poſt preces magna cum fide ad Deum profuſas, mortuum revocavit, qui ſtatim redivivus, ſe pecuniam ullâ debere, negavit; quo dicto, iterum obdormivit. Verum Sanctus Antiſtes, etiam in ſuæ Eccleſiam poni, vetuit, ne ob hoc mendacii crimen, mali aliquid pateretur.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluja.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus. *Lectio vi.*

TOt, tantiſq; charitatis, ac pietatis operibus plenus, graviter in morbum incidit. Mortis propinquæ conſcius, avit Deo anathemate ſe jurejuſ; peractiſque ſacris myſteriis in ejus Cœlavi à cunctio Clero ad id convocato; ipſe in oratione defixus, ubi ſunt, inquit, fratres mei? Tunc qui aderant, arbitrantes, Sanctum Epiſcopum Diaconos accerſere, ecce adſunt, reſponderunt; at ille non iſtos, ſed Sanctos Januarium, & Agrippinum volo, qui modò hic adfuerunt, ſeque illicò promiſere rediturus. Extenſis deinde in Cœlū manibus, in illis verbis: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis, concuſſo per terræmotum cubiculo, ad eum, qui in Cœlis habitat, evolavit, pridie kal. Maii. Corpus primò in ſua cripta, poſtmodum in æde Divi Georgii honorificè conditum fuit.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. Alleluja.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noct. homil. in Evang. Vigilate, de commun. Conf. Pont.

In 2. Veſp. fit de SS. Apoſt. Philippo, & Jacobo, commem. S. Severi.

F E S T A   M A I I.

Dominica 1. Maii.

IN FESTO TRANSLATIONIS S. JANUAR. Epiſc. & Mar. præc. Patr. Civit. & Regni, duplex majus.

Ad Veſp. Antiph. Sancti tui Domine, cum reliquis *de commun. Mart. temp. Paſch.* *Oratio.*

DEus, qui nos B. Januarii Martyris tui, atq; Pontificis annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus Tranſlationem colimus, ſe ejuſdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Deinde fit com. Dom. occ. Lect. 1. Noct. A Mileto.

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

QUo tempore Beatus Pontifex Januarius pro Chriſti confeſſione Puteolis capite plexus eſt, venerabilis ejus cruor, quem pro Chriſtianæ fidei veritate conſtantiſſimè fuderat, pie collectus, atque in duabus vitreis ampullis reconditus eſt. Poſterà verò, pace Eccleſiæ reddita, Sanctus Severus, ædificata jam propè Neapolim S. Januarii Baſilica, ſacratiſſimum Martyris Corpus, cum magna Neapolitani Cleri, Populique frequentia, iis etiam, qui de genere S. Januarii erant, comitantibus, Neapolim religioſiſſimè tranſtulit. Et Corpus quidem ejus in Baſilica condidit. Cruoris verò ampullas ad hanc uſque diem ſenſum ſervat, illuſtre miraculum ſpectantibus exhibent. Nam cum e regione deſecti pro Chriſto capitis ponuntur, cruor admirandum in modum colliquefieri, perindè, atq; recens effuſus, ad hæc uſque tempora cernitur.

℟. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine: * Et æternitas temporum. Alleluja.

℣. Lætitia ſempiterna erit ſuper capita eorū, gaudiū, & exultationē obtinebūt. Et æternitas.

Sermo Sancti Joannis Chryſoſtomi.

Tom. 6. orat. de Martyr. *Lectio v.*

SÆpenumerò, chariſſimi, ſub auroram Solem exorientem vidiſtis, & quaſi croceos radios emittentem. Talia Sanctorum erant corpora, dùm velut crocei quidam radii, rivi ſanguinis, undique ex illis defluerent, eorumque corpus multò, quàm Cœlum Sol ipſe, ſplendidius illuſtraret. Hunc ſanguinem Angeli contuentes oblectabantur, dæmones horrebant, & ipſe diabolus tremebat. Non enim ſanguis erat ſimpliciter, quod cernebatur, ſed ſanguis Cœlo dignus, ſanguis, qui pulchras Eccleſiæ arbores perenni irrigatione fœcundat.

℟. In ſervis ſuis, alleluja: * Conſolabitur Deus, alleluja.

℣. Judicabit Dominus populum ſuum, & in ſervis ſuis. Conſolabitur. *Lectio vi.*

VIdit hunc ſanguinem, horruitque diabolus; recordatus eſt quippè alterius ſanguinis Dominici. Propter illum ſanguinem hic eſſuſus. Ex quo enim Domini latus apertum eſt, ita certa deinde ſacra effuſa continens. Quis enim non homines cum alacritate gaudiorum, iſte ad agones iſtos ineundos, Dominicis paſſionibus communicaturus, & Chriſti morti conformis futurus, accingeret? Eſt enim ſufficiens hæc retributio, & amplior merces, & quod certamina excedit, præmium, vel illud etiam, quod ingreſſum in Cœlorum Regnum conſequimur.

℟. Filiæ Jeruſalem, venite, & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus: * In die ſolemnitatis, & lætitiæ, alleluja.

℣. Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

In 3. Noct. homil. in Evang. Ego ſum vitis vera, *9. lect. & comm. Domin. cum 2. Veſp. in quibus comm. Dom.*

Die 14. Maii.

IN FESTO S. POMPONII Epiſcopi Neapolitani dupl.

In 1. Veſp. omnia de commun. Conf. Pontif.

Oratio.

DEus, qui B. Pomponium Confeſſorem, atq; Pontificem beneficentiæ tuæ thelauris locupletaſti, da, ut ejus auxilio, & imitatione, cœleſtis miſericordiæ tuæ divitias conſequamur. Per Dominum, &c.

Deinde fit comm. S. Bonifacii mart.

Lectiones 1. Noct. de Script. occurr.

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

POmponius nobilitate generis, ac ſapientia conſpicuus, poſt S. Alprenum vigeſimus ad Neapolitanam ſedem evectus, ſollicitudine quā maxima deſudavit, ut commiſſas ſibi oves Chriſtianæ pietatis pabulo uberibus enutriret, ab Ariana contagione tutatus, ne perfidiæ ſocius imbiberet, cum Theodoricus Gothorum Rex hæreticus, Neapoli potitus, Catholicos inſectaretur Ejus audaciæ Sanctus Antiſtes cōſtantiſſimè reſtitit, commendatus idcircò à Joanne Pontifice Maximo, qui ab eodem impio Rege Ravennæ mancipatus carceri, vinculiſque conſtrictus, Apoſtolicam ſcripſit epiſtolam, qua tùm monitis, tùm exemplis omnes Italiæ Præſules ad orthodoxam fidem propugnandam hortabatur.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluja.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus. *Lectio v.*

REliquas inter virtutes, præcipuum ergà Deiparam amorem, cultumque exhibuit, cui templum titulo Sanctæ Mariæ Majoris, à ſe excitatum nuncupari voluit, tunc temporis in primis mole, & ſtructura magnificum, quod à Romano Pontifice conſecratum, multiſque locupletatum Indulgentiis, magno ſemper in honore à Neapolitanis ipſis Regibus habitum eſt. Multùm præterea gregi ſuo in publicis ærumnis profuit, eique pientiſſimam opem precum ſuffragiis impetravit. Demùm poſt Eccleſiam ſuā, per annos octo ſupra viginti, magna prudentia, ac pietate gubernatam, pridie kalendas Maii, quinto poſt Chriſtum ſeculo, ad cœleſtem vitam exceſſit.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluja.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus. *Lectio vi.*

SAcrum corpus ſub Ara maxima ejuſdem Baſilicæ humatum miraculis effulſit; ex quo perhibent prodigioſum liquorem olim effluxiſſe, medendis animarum, corporumque morbis aptiſſimum. Vixit Hormiſda, Joanne, Felice, ac Bonifacio Summis Eccleſiæ Pontificibus, imperante Juſtino. Feſtum diem ſolemni ritu Neapolis pridie Idus Majas celebrat. Et Clerici Regulares Minores fundatam à Sancto Antiſtite Baſilicam, in recentiorem formam affabrè redactam, incolentes, honorifico cultu quotannis piiſſimè venerantur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. Alleluja.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mūdi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noct. homil. in Evang. Vigilate, *de commun. Conf. Pont. 9. lect. ex duabus, & comm. S. Bonifacii in Cum 2. Veſp.*

Die 17. Maii.

IN FESTO SANCTÆ RESTITUTÆ Virg. & Mart. dupl.

In 1. Veſp. omnia de commun. V. M. M. *Oratio.*

DEus, qui B. Reſtitutam Virginem, & Martyrem tuam illæſam in flammis cuſtodiſti: ejuſdem nobis interceſſione concede, ut, tua charitate ſuccenſi, ab ardoribus ſempiternis eruamur. Per Dominum, &c.

In

In 1. Nocturno lectiones de ſcript. occur. In propria autem Eccleſia Confitebor, de commun.

In 2. Nocturno. Lectio iv.

RESTITUTA Virgo, Pontizanj in Africa nata, generis ſplendore non magis, quam divinæ ſapientiæ claritate refulſit. Quod veram Religionem profiteretur delata, Carthaginem ad Proculum imperatoris Præfectum adducitur, ac tum minis, tum blanditijs attentata, animum obfirmavit, certa potius mori, quam ut Virginitatem, aut Fidem perderet. Tum Præſes rabie ſuccenſus, equuleo torqueri, capillis ſuſpendi, pedibuſque ingenti clavo deſigi jubet. Cum tamen nihil evinceret, magicis artibus tribuens invictam conſtantiam, ad incendium in pelago parandum damnat.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & Juſtitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluja.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Et deducet.

Lectio v.

VINCULIS itaque conſtricta, in Naviculam ſarmentis, ſtupa, pice, reſinaque refertam immittitur, ac quindecim ſtadiis procul à littore ignis admotus, divino nutu nihil Virgini nocuit, incendium vero omnes abſumpſit, ac proximum, in qua erant navam repente demerſit. Ad ſpectaculum ardentior in Deum Reſtituta, oculis ad Cœlum erectis exclamavit: ô altitudo Potentiæ, & Clementiæ tuæ, Domine! ubi eſt ſuperbia impiorum? Jube me Domine ad æternæ ſalutis Portum pervenire. Qua in oratione duplicem conſequuta Virginis, & Martyris palmam vivere deſijt, decimoſexto Kalendas Junias, Valeriano Imperatore. Tum Navicula, qua vehebatur, ſine velo, ac remige, ad Ænariam Inſulam in Campania, ſalva divinitùs appulit.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Alleluja.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Propterea.

Lectio vi.

EJUSDEM Inſulæ pia quædam mulier Lucina, ab Angelo de his omnibus in ſomnis admonita, atque ut illibatum Virginis corpus decoro conderet tumulo, expergefacta, in loco, qui ad Ripas vocatur, eneratum tanti Theſauri navem nacta eſt, accerſitoque ad prodigium populo, non ſine debito gratiarum obſequio, exequendis Dei juſſis operam dedit. Hiſ permotus Conſtantinus inter Cæſares Magnus, ſacras reliquias in Baſilica à ſe erecta Neapoli, Reſtitutæ titulo inſignita, honorifice translatas depoſuit. Feſtus dies à Clero, maximèque à Venerabili Canonicorum Collegio ſolemni pompa celebratur ad Patriæ tutelam, & gloriam.

℟. Afferentur Regi Virgines poſt eam proximæ ejus: * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione. Alleluja. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Afferentur. Gloria. Afferentur.

In 3. Noct. homil. in Evang. Simile erit Regnum Cœlorum decem Virginibus, *de eod. commun.*

In 2. Veſp. commem. S. Venantii Mart.

Die 23. Maij.

IN FESTO S. EUPHEBIJ

Epi. Conf. Patr. dup. *Oratio.*

DEUS, qui populo tuo in multis periculis conſtituto, B. Euphebij Confeſſoris, atque Pontificis tua vigilantia providiſti: concede propitius, ut cujus glorioſa veneramur merita, perennibus auxilijs muniamur. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. Fidelis.

In 2. Nocturno. Lectio iv.

EUPHEBIUS Neapolitanus, vitæ ſanctimonia, & prodigiorum magnitudine illuſtris, poſt Euſtachium illius Urbis Antiſtitem, omnium ſuffragijs, ſolus ipſe reluctans, inſtitutus Epiſcopus, Divini honoris tuendi zelo ſuccenſus, ſedulò curavit, ne cultores Idolorum, barbaræque nationes, tunc temporis Campaniam incolentes, ad ſuperſtitionem novitium Chriſti gregem traducerent, ſi quas verò aberrantes oves reperiſſet, ſalutis in paſcua reducebat.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluja. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

ECCLESIA ſua ſanctiſſime gubernata, exceſſit è vita, decimo kal. Junij, ſeptimus poſt Beatum Aſprenum Antiſtes. Corpus admirando fragrans odore, extra mœnia conditum, mox poſt Barbarorum incurſus, Salvatoris in Baſilicam, deinde in alteram Divo Euphebio ſacram translatum eſt, quod longa poſt tempora, Sixto Quinto Pontifice, cum corporibus Beatorum Fortunati, & Maximi, Neapolitanorum Antiſtitum, ibidem repertum eſt. Caput verò in Sacro Reliquiarum Theſauro maximi Templi, pia Civium veneratione colitur.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluja.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

NEC vivens modò, ſed defunctus quoque, ovibus ſuis mirifice profuit; Sacerdotem namque ad ejus Sacellum operantem ſacris, ſervavit incolumem à diſtrictis Saracenorum gladijs, qui ne adſtantem quidem aſpexerunt. Perjuro debitori, qui impio Sacramento ante ejus ſepulchrum pecuniam debitam ſe redditurum adſtrinxerat, in ſomnis apparens, acriter interminatus eſt, eique præcepit, ut Creditori, qui eidem Sancto Antiſtiti ſe commendaverat, illicò ſatisfaceret. Illud præcipuè memorandum, quòd Saracenus Neapolim obſidentes, miſum in modum fugaverit, immanemque cladem Patriæ impendentem averterit. Quem ideò Civitas univerſa, tanto obſtricta beneficio, ſuum in Patronum elegit.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. Alleluja.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noct. homil. in Evang. Homo peregre, *de eod. commun. Cum 2. Veſp.*

Die 25. Maij.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ

de Pazzis Virg. Patr. dupl.

Lect. 1. Noct. De Virginibus, *reliq. ut in Brev.*

Die 26. Maij.

IN FESTO S. PHILIPPI NERIJ

Patron. Cler. & Civit. Neap. dupl. 2. claſſ.

Lect. 1. Noſſur Juſtus, *reliq. ut in Brev.*

Die 13. Junij.

IN FESTO SANCTI ANTONII DE PADUA

Conf. Patr. dupl.

Lect. 1. Noct. Juſtus, *reliq. ut in Brev.*

In 2. Veſp. comm. S. Baſilii.

LAUS DEO.

Digitized by Google

OFFICIA
SANCTORUM
PATRONORUM

Recitanda in Civitate, & Diœceſi Neapolitana.

P A R S Æ S T I V A.

KALENDARIUM SANCTORUM,
Quorum Officia ſunt recitanda in Civitate, & Diœceſi Neapolitana.

Junius.

22 Joannis Epiſc.Neap.*dupl.*

Julius.

7 Dedicat. Eccleſ. Neapol. *dupl.1.claſſ.* cum octava.
15 Athanaſij Epiſc.Neap.Patr.*dupl.*
24 Liberij Epiſ.Conf.*ſemid.ad libit.*

Auguſtus.

3 Aſpreni primi Epiſ.Neap.Patr.*dupl.*
4 Dominici Conf.Patr.*dupl.*
7 Cajetani Conf.Patr.*dupl.*
12 Claræ Virg.Patr.*dupl.*
26 Patritiæ Virg.Patr.*dupl.*
29 Decollatio S.Jo.Baptiſtæ Patr.*dupl.*

September.

4 Candidæ ſenioris primæ Chriſtianæ Neapol. *ſemid.*
5 Candidæ junioris Patr.*dupl.*
19 Januarij Epiſ.& Mart. Præcipui Patr.Civit. & Regni Neap.*dupl.*
29 Ded.e.S.Michaelis Arch.Patr.*dupl.*

October.

1 Gregorij Arm. Epiſ.Mart. Patr.*dupl.*
4 Franciſci Conf.Patr.*dupl.*
10 Franciſci Borgiæ Conf.Patr.*dup.*
14 Fortunatæ Virg.Mart.*dupl.*
15 Thereſiæ Virg.Patr.*dupl.*

November.

6 Agrippini Epiſc.Patr.*dupl.*
10 Andreæ Avellini Conf. Patr. *dupl.*
28 Jacob.Conf.Patr.*dupl.*

F E S T A J U N I I.

Die 22.Junii.

IN FESTO SANCTI JOANNIS
Epiſc.Neap.dupl.

In 1.veſp.omnia de commun.Conf.Pontif. Orat io

DEus, qui B.Joannem Confeſſorem, atque Pontificem, meritis onuſtum, ad Cœleſtē Regnum, Beati Paulini vocibus advocaſti præſta, ut ejuſdem natalitia venerantes, & recta veſtigia ſecuti, ad æternæ vitæ paſcua perducamur. Per Dominum, &c.

Deinde fit comm.S.Paulini Epiſc. Conf. Ant. Euge. ✠ Juſtum, *de laud.*

Lect.1.Noct.de ſcriptur.occur.

In 2.Nocturno. Lectio iv.

JOannes Neapolitanus, non virtutibus minùs quàm doctrinis excultus, à Gregorio IV. Pontifice Maximo, Cleri electioni, precibuſq; Populi ſuffragante, Pater inſtituitur Antiſtes. Major in pauperes, in ærumnoſos charitate, omniū bono natus, exarſit. Nullius maleficia, niſi beneficiis vindicavit; neque in flagitioſos homines uſus eſt unquam, ſed in ſola flagitia indignari. Tum demiſſi animi eximia virtute præcellait, ut ſubditis omnibus maluerit videri, quàm Præſul, non alio, quàm Juſti, ac Sancti nomine nuncupatus. Cujus propterea intemeratæ fidei Neapolitani Dux filium Athanaſium, ſacræ Indulæ, ac Sanctitatis heredem, doctrinis imbuendum, & piis moribus tradidit.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eū: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

TOt, tantiſq; animi dotibus ſapientia inſignis, prudentiaq; acceſſit. Codices plures, utileſque conſcripſit. Civitatem à Saracenis terra, marique obſeſſam, opera, & conſilio juvit; eique à Sicardo Longobardorum Principe pacem obtinuit. Maximum Templum ſacra ſuppellectili aurea, & argentea donavit, atque in vaſa ſuſtinet etiam pure, deceſſorum Antiſtitum corporibus in Stephaniæ Baſilicam translatis, & monumenta poſuit, & Imagines ſepulchrales appinxit. Tot denique virtutibus, geſtiſque, præclaram vitam obitu beatiſſime terminavit.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David ſervum meū; oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

DIgnus namq; in morte fuit, ut eadē nocte, quæ ſupremam Chriſti Cœnam antecedit, B. Paulinum Nolanum Antiſtitem in ſomnis oblatum proſpiceret, & invitantem ad Cœlum ſereno vultu, & ſuaviſſimis his vocibus audiret. Joannes frater, quid hic agis? ſolve jam vincula, & ad nos evola. Eo conſpectu, & allocutione inflammatus, anhelans ad Cœleſtia, ſabbathi poſt Paraſceven die, validus proceſſit ad Templum, & oratione, ad Populum habita, ad Altare perrexit, indeque repente animam expirans ad Cœli Templum emigravit, anno octingenteſimo quadrageſimo nono. Sacrū corpus ſub Ara maxima Eccleſiæ S.Reſtitutæ venerationi habetur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deū magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omniū populorū.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mūdi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noctur.homil.in Evangel. Vigilate, *ut in communi. Nona lectio ex duabus S.Paulini Ep. Conf.& comm.ejuſdem in laudibus.*

Die 7.Julii.

IN FESTO DEDICAT.CATHEDR. ECCLES,
Neapolit. dupl. 1.claſſis cum Octava.

Omnia, ut in commun. Dedic. Eccl. or. Deus, qui nobis per ſingulos annos, &c.

Et in 1.veſp.non fit commem.diei octavæ SS.Apoſt.Petri, & Pauli.

Extra Civit. & ſuburbanis celebratur octava hujus feſti. Ideò confunde ordine.

Die 8.Julii.

Secunda die infra octavam.

Lect.1.Nocturni de ſcriptur.occurr.

In 2.& 3.Noct.ut in 2.die infra octav.

Die 9.Julii.

Tertia die infra octavam.

Lect.1.Noctur.de ſcript.occurrente.

In 2.veſp.à cap.de 10.Septem Fratribus mm. commem.octava.

Die 10.Julii.

Quarta die infra octavam.

Fit de 10.Sept.Fratrib.mm.ſemid. comm.oct.

In 2.veſp.à cap.de oct. commem. Septem Fratrum, & Pii Pp.mart.

Die 11.Julii.

Quinta die infra octavam.

Lectio 1.Noct.de ſcript.occurrente.

In 2.& 3.Noct.ut in 5.die infra oct. 9.lect. & commem.s.Pii Pap.mart.

Veſp.de s.Joann.Gualb.Abb.dupl.commem.oct. & ss.Naboris, &c.martyr.

Die 12.Julii.

Sexta die infra octavam.

Fit de s.Jo.Gualberto Abb.dupl.comm.octav. & ss.Naboris, &c.mm.

In 2.veſp.comm.S.Anacleti Pp.m.& octav.

Die 13.Julii.

Septima die infra octavam.

Fit de S.Anacleto Pp.m.ſem.comm.oct. Veſp. de die octav.Dedicat.dupl.omnia, ut in 1.veſper. feſti, comm.S.Anacleti Pp.m.

Die 14.Julii.

In die octava Dedicationis dupl.omnia, ut in die, præter lect.2.Noct.

Veſp.de S.Athanaſio Epiſc.Conf.Patr.dupl.ut in communi.

Oratio.

OMnipotens æterne Deus, qui B.Athanaſiū Confeſſorem tuum, atq; Pontificem invicta conſtantia roboraſti: te ſuppliciter exoramus, ut illo intercedente, ab exequendis mandatis tuis, nulla hoſtium oppugnatione deſiſtamus. Per Dominum, &c.

Et fit comm.diei oct.Dedicat.

Die 15.Julii.

IN FESTO SANCTI ATHANASII
Epiſc.Neap.Patr.dupl.

Lect.1.Noctur.ex Fidelis, de communi.

In 2.Nocturno. Lectio iv.

ATHanaſius Neapolitanis Ducibus natus, quem pii Parentes S.Athanaſii Alexandrini precibus ſuſceptum, ejuſdemque poſteà invictæ conſtantiæ æmulatorem, hoc appellarunt nomine. A pueritia Clericali militiæ adſcriptus, Beato Joanni Neapolitano Antiſtiti erudiendus traditus eſt; quo doctore, tanta enituit pietate, literiſque, ut meritò à Leone Quarto Pontifice, Civium precibus annuente, Neapolitanus Epiſcopus fuerit renunciatus, & conſecratus. Eccleſiaſticos proventus, domeſticumque Patrimonium in Templorum, Pauperumque inopiam ſublevandam erogavit; multas Saracenorum incurſibus pene dirutas inſtauravit Baſilicas, eaſque prædiis ſacris veſtibus, vaſiſque pretioſis locupletavit. Miniſtros Altaris Hebdomadarios in Templo maximo à ſe inſtitutos proprio ditavit ære. Pauperibus, & peregrinis hoſpitium aperuit; multamque pecuniæ ad captivos e Barbarorum ſervitio vindicandos mira charitate profudit.

℟. Inveni David ſervum meum oleo ſancto meo unxi eū: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

ABſtinentia fuit incredibili, frugali menſa utens, uſum carnis ſibi perpetuò interdixit. Corpus non cilicio ſolum, flagriſque, ſed graviſſimo etiam plumbi pondere, à cervice ad talos extenſo affligebat, lapideque capiti ſuppoſito, in lectulo humi ſtrato cubabat. A Nicolao Primo Pontifice Romā acceſſitus, magno honore eſt habitus; ac Lateranenſi in Synodo, unà cum aliis Patribus, tertio loco aſſidens, Joannem Raven-

A

natem inſanientem antea contra Eccleſiam, qui poſteà reſipuit, confiſcavit. Neapolim regreſſus, à Sergio fratris filio, neq; impietatis lenitate, Athanaſii objurgatione indignante, detruſus in carcerem, indeque Cleri opera cum univerſæ Civitatis gaudio ereptus eſt.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

CONſtanter deinde obluctans iniquis contra Eccleſiaſticam libertatem poſtulationibus Sergii, ejus opera depulſus è ſede, unumq; menſem ſupra viginti coactus exulare, plurimas per id temporis ærumnas perpeſſus eſt, quibus tandem confectus, Verulis obiens cœleſtem in Patriam receptus eſt, ætatis anno quadrageſimo primo, Idibus Julii, poſt Chriſtum natum octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Corpus miraculis clarum, Caſſinum priùs in montem, mox Neapolim, quinto poſt obitum anno, integrum adhuc repertum, ſolemni ſupplicatione tranſlatum eſt; cujus tranſlationis memoria menſis Aprilis anniverſaria feſti ritate recolitur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. Alleluja.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noct. homil. in Evangel. Homo peregrè.

Veſp. de feſto, comm. B. M. V. de Monte Carmelo, comm. S. Athanaſii.

Die 24. Julii.

IN FESTO SANCTI LIBORII

Epiſc. & Conf. in Civit. Neap. ſemid. ad libit.

Omnia de commun. Conf. Pont. præter ea, quæ hic habentur.

Oratio.

EXaudi, quæſumus Domine, preces noſtras, quas in B. Liborii Confeſſoris tui, atque Pontificis ſolemnitate deferimus: & qui tibi dignè meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos abſolve peccatis. Per Dominum, &c.

Ad hymn. Meruit ſupremos.

In 1. Noct. lect. de ſcript. occur.

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

LIborius honeſtis parentibus in Gallia natus, & ab ineunte ætate caducarum rerum illecebras averſatus, egregiam indolem præclaris moribus, & humanarum, ſacrarumque literarū ſtudiis adeò diligenter excoluit; ut proceſſu temporis probitatis, ac ſapientiæ proficiens incrementis, maturitatem virilis ornaret ætatis. Clero adſcriptus, ac Officiis functus Eccleſiaſticis, amplius totum ſe Divino cultui mancipavit: ſtuduitque cunctos actus, cogitatuſque ſuos ità ad rationis normam dirigere, ut nihil appeteret pœnitendum. Modeſtia, itaque abſtinentia, eleemoſyna, aliiſque virtutibus conſpicuus. Pavacio Cenomanenſi Epiſcopo defuncto, unanime Civitatis conſenſu, quartus ejuſdem Sedis Antiſtes ſuffi citur.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

EA dignitatis acceſſione nihil intereà immutatus in concredita ſibi Domini vinea excolenda totus fuit. Aſſidua prædicatione, vitæ innocentia exemplo, & effuſa in pauperes charitate præcipue inſignis, Populi mores reformavit, ac potens in opere, & ſermone multos integritati vitæ, fideique reſtituit. Domus Dei decorem, & cultum egregiè promovit, ædificatis ſeptendecim Eccleſiis, in quibus pro jugi Divinorum Officiorum celebratione, & aſſiſtentibus Populis Sacrorum diſpenſatione, diverſi ordinis miniſtros inſtituit. Tandem quadraginta novē annis in Epiſcopatu ſanctiſſime tranſactis, obdormivit in Domino, decimo kalendas Auguſti. Eum in cilicio decumbentem, & ad cœleſtem Patriam anhelantem B. Martinus Turonenſis Epiſcopus ab Angelo monitus inviſit, mortuūque in Suburbana Eccleſia honorificè ſepelivit, ubi multis poſteà miraculis coruſcavit.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

VErùm poſt debellatam à Carolo Magno Saxoniam, & Chriſti jugo ſubactam, Baduradus Secundus Paderbonæ in Veſtphalia Epiſcopus, cum adhuc rudem in Fide populum ad avitas Gentilium ſuperſtitiones ſeſe convertentem animadverteſſet, quò illum ab ejuſmodi erroribus per novum Patronum, ac Interceſſorem apud Deum revocaret; Divino monitu ab Aldrico Cenomanenſi Antiſtite Liborii corpus impetravit, & maxima cum celebritate ſuſcepit Anno ſalutis octingenteſimo trigeſimo ſexto. Sacræ Reliquiæ, cum transferrentur, omnes illas regiones, mira ſignorum frequentia illuſtrarunt, quæ cum ſama in dies percrebeſcerent, magnum ubique Liborii nomen eſſe cœpit. Sed ejus virtutis contra Nephriticos dolores præcipue clareſcit, continuis teſtata beneficiis, ob quæ peculiari Fidelium pietate multis in regionibus celebratur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noct. homil. in Evang. Vigilate.

Miſſa Sacerdotes, de commun. Conf. Pont.

Die 3. Auguſti.

IN FESTO SANCTI ASPRENI

Primi Epiſc. & Patr. Neap.

In 1. veſp. omnia de commun. Conf. Pont.

Oratio

DEus, qui B. Aſprenum ab Apoſtolo Petro baptiſmo luſtratum, primum nobis Antiſtitem conſtituiſti; grgeſta ſupplicibus tuis, ut Fidem, quam per eum accepimus, bonis operibus comprobemus. Per Dominum, &c.

In 1. noct. lect. de Epiſt. Dixi Pauli Fidelis, *ut in commun.*

In 2. noct. *Lectio iv.*

ASprenus primus Neapolitanæ Eccleſiæ Antiſtes ab Apoſtolorum Principe conſtitutus fuit. Cum enim is Antiochia Romam proficiſcens, Neapolim appuliſſet, invenit honeſtam mulierem Candidam nomine, quæ ab eodem ægritudine priùs liberata, & luſtrata baptiſmate, oravit deinde Sanctum Apoſtolum, ut Aſpreno probo viro ſibi conſanguinitate conjuncto, diuturno jam morbo laboranti, idem quod ſibi beneficium impertiretur, ut nō tantùm ſanguinis, ſed Religionis cognatione conjungeretur.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

ANnuit Petrus Candidæ precibus, eiq; injunxit, ut apprehenſa ægri dextera ſuo nomine juberet, incolumem è ſtrato cōſurgere. Quod cum mulier feciſſet, Aſprenus illicò ſanus ad Beatum Petrum acceſſit; à quo veræ Fidei myſteriis initiatus, ſalutari lavacro fuit ablutus; & cum Candida miſſæ ſacrificio interfuit, dùm Apoſtolus ipſe ſacris operaretur in loco, quem poſteà Petri Aram nuncupatam, atque ob tantæ rei memoriam, maximo in honore ſemper habitum, tùm Neapolitani Reges privilegiis plurimis, tum Pontifices ſummi ampliſſimis Indulgentiis locupletarunt.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

PEtrus autem Romam diſceſſurus Neapolitanæ Eccleſiæ Aſprenum primum Epiſcopum præfecit, qui divinum magiſtrum imitatus, populum ſuæ curæ, & directioni traditum, exemplo, prædicatione, miraculiſque ſic erudiit, excoluitque, ut Fidem, & Jeſu Chriſti doctrinam, ab Apoſtolorum Principe acceptā, intactam ſemper, illibatamq; conſtantiſſime ſervavit. Donec Aſprenus annis plenus, ac meritis, emigraret ad Dominum, ſub annum Chriſti nonum ſeptuageſimum nonum; ſepulcroq; nunc colitur maximo in Templo, ubi Sancti Petri baculus ſervatur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noctur. homil. in Evang. Homo peregrè.

In 2. Veſp. com. S. Dominici.

Die 4. Auguſti.

IN FESTO S. DOMINICI.

Conf. Patr. Civit. & Regni Neap. dupl.

Omnia cum ejus octava, ut in libello er. Civitatis & Regni Neapolitani.

Die 7. Auguſti.

IN FESTO S. CAJETANI

Patr. dupl.

Omnia ut in libello, ut ſup. lect. verò 2. noct. Juſtus.

Die 12. Auguſti.

IN FESTO S. CLARÆ

Virg. Patr. dupl.

Lect. 1. Noct. De Virginibus.

Lect. 2. Noct. prop. virg. ut in Breviario.

Die

Digitized by Google

Die 26. Auguſti.

IN FESTO S. PATRICIÆ

Virg. Patronę dupl.

In 2. Veſp. S. Bartholomęi Apoſt. com. S. Patriciæ. Antiph. Veni ſponſa, &c. ℣. Specie tua, &c. *de commu.* ℣℣.

Oratio.

DEus, qui Beatam Patriciam Virginem, terrena omnia contemnentem, cœleſti gloriæ corona decoraſti: concede, ut ejus exemplo, temporalia cuncta deſpicientes, ſempiternis gaudiis perfruamur. Per Dominum, &c.

Deinde fit com. S. Zephyrini. Pp. m.

Lect. 1. Noct. De Virginibus, *ut in comm.*

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

PAtricia Virgo Conſtantinopolitana, Imperatorum orta ex genere, à teneris annis Jeſu Chriſti amore ſuccenſa, totam ſe Deo dedere, illique perpetuam devovere virginitatem ſtatuit. Invita à Conſtantino Imperatore, Viro apprimè nobili deſponſata, inito clàm Aglaja nutricę ſuę conſilio, profuſiſque ad Deum precibus clàm ex Urbe nuptiarum celebritatem fugiens, receſſit; & cum Ancillis, & Eunuchis navim conſcendit, Sanctorum Apoſtolorum limina, caſtimoniæ ſuæ perfugium aditura. Cognita fuga, validæ triremes ab Imperatore, ſed fruſtrà expediuntur; navigium namque in quo Patricia vehebatur, non longe remotum, oculos inſequentium fugit, quos tempeſtas ſuborta Bizantium redire coegit.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiā: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna. Et deducet te.

Lectio v.

AB hoc diſcrimine divinitùs erepta, Neapolim prius appulit: Templa omnia religioſiſſimè inviſit; Sanctiorum verò Cœnobium Sanctis Nicandro, & Marciano ſacrum, ſingulari pietate, coluit; impreſſoque in pariete Crucis ſigno ibidem ſe fore tumulādam, monachos aliò commigraturos, prænunciavit. Romam poſteà profecta, à Liberio Summo Pontifice Virginitatis velo inſignita, cœleſtem vitam cum aliis Virginibus duxit. Admonita de Conſtantii obitu, non ſine ſuorum Civium admiratione, ac veneratione Conſtantinopolim revecta fortunis omnibus, pompiſq; pro Chriſto à ſe abdicatis, domeſticum patrimonium pios erogavit in uſus: illaque tantùm reſervata pecunia, qua virginum Cœnobium conderetur.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lętitię.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam, Propterea.

Lectio vi.

TUm ſacra Paleſtinæ loca miro peragrandi deſiderio flagrans, maritimorum aggreſſa iter, ventorumq; vi Neapolim repulſa, in Caſtrum Lucullanum è navi deſcendit, ubi ſupremo correpta morbo, antractam ſanctiſſimè vitam feliciſſimo coronavit exitu octavo Kalendas Septembris circa annum trecenteſimum ſexageſimum quintum. Aglaja nutrix in ſomnis ab Angelo admonita, ſacrū Virginis corpus currui, à Tauris indomitis tracto, impoſuit, qui, duce nullo, ad Sanctorum Nicandri, & Marciani ædem ſteterunt, ibique fuit honorificè conditum, ubi conſtructum deinde auguſtum Templum, Sacrarumq; Virginum domicilium Sanctę Patricię nomine nuncupatum. Sanguis ejuſdem vitreo in vaſe concretus, è regione virginei dentis expoſitus ebullire ad hoc uſque tempus cernitur. Neapolitana Civitas tanto ditata theſauro, & munita patrocinio, ſacram Virginem et liquis ſuis Tutelaribus numeravit.

℟. Afferentur Regi Virgines poſt eam, proximæ ejus: * Afferentur tibi in lętitia, & exultatione.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſperè procede, & regna. Afferentur. Gloria. Afferentur.

In 3. Noct. homil. in Evang. Simile decem, *de commu. 9. lect. & com. S. Zephyrini.*

In 2. veſp. comm. S. Ludovici conf.

Die 29. Auguſti.

IN FESTO DECOLLATIONIS

S. Joannis Baptiſtæ Patr. dupl.

Omnia ut in Breviario.

FESTA SEPTEMBRIS.

Die 4. Septembris.

IN FESTO S. CANDIDÆ SENIORIS.

Primæ Chriſtianæ Neap. Secundupl.

In 1. Veſp. omnia de commun. Mulierum Sanctarum.

Oratio.

DEus qui per Beatam Candidam per Apoſtolorum Principem Fidei lumine illuſtrare dignatus es: tribue quæſumus, ut ejus ſuffragantibus meritis, æternę gloriæ tuę beato lumine perfrui mereamur. Per Dominum, &c.

In 1. Nocturn. Lect. de ſcript. occur.

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

CAndida Neapolitana, claris exorta parentibus, ſed longè clarior, quia Principem Apoſtolorum ſuſcepit fidei Parentem fortita eſt Petrum, cui ex Antiocheni Sede ad fundandam Romanam Eccleſiam in Italiam naviganti, ubi Neapolim appulit, prima occurrit; & corporis ægritudine repentè levata, vitali fonte Baptiſmatis regenerata eſt. Tam inſigne beneficium, & Religionis, & ſalutis, non in ſe ſolam recipi, atque inareſcere paſſa eſt, ſed ſuos in Cives, & conſanguineum Aſprenum Neapolitanum Antiſtitē beatum Anteſignanū, ut abunde profluerent ab Apoſtolo Principe exoravit, cui etiam ad Aras operanti, & adfuit Candida, & ejuſdem è manibus immortali recepto Epulo recreata. Denique ſanctitatis compendium nacta, devexa jam ætate; & annis, & meritis plena, beatum vitæ finem impoſuit pridie nonas Septembris, anno ſalutis ſeptuageſimo octavo.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & Pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Et deducet.

Lectio v.

Ex lib. S. Ambroſii Ep. de Viduis.

AGrum bonæ Eccleſię fertilem cerno, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis gravitate pollentem, nunc etiam conjugii fructibus redundantem. Nam etſi diverſi, unius tamen agri fructus, ſunt; nec tanta hortorum lilia, quanta ariſtę ſegetum, meſſium ſpicę, completiùſque ſpatia camporum recipiendis aptantur ſeminibus, quàm redditis novales fructibus ferantur. Bona ergo viduitas, quæ toties Apoſtolico judicio prędicatur. Hęc enim magiſtra fidei, magiſtra eſt caſtitatis.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lętitię.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Propterea.

Lectio vi.

UNde, & illi, qui deorum ſuorum adulteria, & probra venerantur, cœlibatui, & viduitatis ſtatuere pœnas, ut æmuli criminum multarent ſtudia virtutum, ſpecie quidem, quia fœcunditatem quærerent, ſed ſtudio, quo propoſitum caſtitatis abolerent. Nam confectis, & miles ſtipendiis, arma deponit, & relicto officio quod gerebat, ad propria veteranus rura dimittitur, ut & ipſe exercitus laboribus vitæ requiem conſequatur; & alios ſpes futuræ quietis ſubeundis faciat operibus promptiores. Agricola quoque maturior torquendam aliis ſtivam committit, & juvenili gravatus opere providentiâ curæ ſenilis explorat: vitem ſatoſis tondere, quàm premere, ut juveneſcentem luxuriam reprimat, & adoleſcentem laſciviam falce ſuccidat: parcorum quandam parvum caſtitatem docens etiam in vitibus experiendam.

℟. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipſa laudabitur.

℣. Date ei de fructu manū ſuarum, & laudēt eā in portis opera ejus. Mulier. Gloria. Mulier.

In 3. Noct. homil. in Evang. Simile theſauro.

Veſper. de S. Candida Juniore dupl. nec vir. nec mart. comm. S. Candidæ Senioris. Antiph. Manum ſuam, &c. ℣. Diffuſa, *de commu. Orat. ut ſup.*

Die 5. Septembris.

IN FESTO S. CANDIDÆ JUNIORIS

Patr. duplex.

Oratio.

DEus, qui Beatæ Candidæ inter blandimenta ſeculi candorem innocentiæ conſervaſti: concede, ut nos quoque ejuſdem exempla ſectantes, cœleſtis gloriæ conſortium aſſequamur. Per Dominum, &c.

In 1. Noct. Mulierem *de commu.*

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

CAndida Junior quingentis poſt ſeniorem alteram annis Neapoli in Campania è nobili Brancaciorum familia nata eſt, virtute tamen præſtantior, quàm genere. A prima ætate totam ſe Chriſtianæ diſciplinæ operibus addixit, ſummæ in Parentes obſervantiæ, profuſa in pauperes benevolentiæ: quod pietatis ſtudiū in connubio quoq; conſtantiſſimè retinuit, cæteris matronis integrè, ſanctèque vivendi abſolutum ſe præbens exemplar. Cœleſtium rerum contemplationi, Templiſque inviſendis aſſidua, à corporis ornatu, veſtiumque cultu maximè abhorruit. In diſſidiis componendis arbitra; ut ſeipſam tantùm excandeſcere jejuniis, aliiſque pœnitentiæ viis, ut omnis carnis illecebras excinderet, atque animi innocentiam tueretur.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiā: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna. Et deducet te.

Lectio v.

UNico, quem ſuſceperat filio, & cōjugi, diuturno, gravique morbo laborantibus, quòd minùs morti maturos, ac paratos videret, nuncupatis Deo precibus, velut alienæ ſalutis victima, id impetravit, ut pro dilato illis moriendi tempore, vivendi ſibi tempus contraheretur. Voti igitur compos, in ægritudinem incidit, qua tandem interiit quingenteſimo pridie nonas Septembris, eadem die, quo Senior Candida ad Cœlum evocata, ut amantium pietatis ſimilis, ità conſors, & gloriæ. Demortuæ corpus in Sancti Andreæ Templo honorificè conditum eſt. Obiit Pelagio Secundo Pontifice, Mauritio Imperatore.

Digitized by Google

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lętitię.
℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Propterea.

Lectio vi.

Ejus ſanctitatem diù reconditam, plurimis tandem miraculis teſtatam voluit Deus: liquor enim è ſacro Corpore emanavit, variis morborum generibus utilis, atque viribus. Præſentaſſimam opem in primis expertus Paralyticus, qui tremebundus, ac ſemimortuus ad ejus tumulum delatus, ſummo populi admiratione ſanitati redditus, è veſtigio domum incolumis regreſſus eſt. Ulum etiam loquelæ Mutus excepit, beneficium alta voce confeſſus, aliaque admiranda permulta ejus meritis à Deo patrata. Sacrę Reliquiæ in Æde quoq; Divi Angeli ad Nilum nuncupata religioſe anniverſaria pompa coluntur.

℟. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipſa laudabitur.
℣. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria Patri. Mulier.

In 3. Noctur. homilia Evang. Simile Theſauro. *Miſſa* Cognovi.

Die 19. Septembris.
IN FESTO SANCTI JANUARII
Epiſc. & Mart. Præcipui Patr.
Civit. & Regni Neap. dupl.

Omnia cum ejus Octava, ut in libello 11. Civitatis, & Regni Neapolitani.

Feria die non impedita fit de 11. Feſto, & ſoc. S. Januarii ſimul.

Die 29. Septembris.
IN FESTO DED. S. MICHAELIS ARCH.
Patr. duplex.
Omnia, ut in Breviar.

FESTA OCTOBRIS.
Die 1. Octobris.
IN FESTO S. GREGORII ARMENI
Epiſc. & Mart. Patr. dupl.

Ad Veſper. Ant. Gaude Mater Eccleſia, *cum reliq. de laud. pſal. de commun. unt. mart.*

Capitulum. *Jacob. 1.*

Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.

Hymnus.

Lux ò decora Gregori,
Noſtris refulge mentibus,
Te prævio videbimus
Solem perennem gratiæ.
Tu clara gemma Præſulum
Excellis inter Martyres
Longos per anni circulos
Tormenta paſſus horrida.
Tu voce curans corpora,
Cæcaſque mentes inclytus
Illuminans miraculis,
Nutu fugaſti dæmones.
Bonis procul fugacibus
Amplexus es cœleſtia,
Spretaque mundo, Cœlitum
Gaudes petitus præmijs.
Deo Patri ſit gloria,
Ejuſque ſoli Filio
Cum Spiritu Paraclito
Nunc, & per omne ſæculum. Amen.

℣. Gloria, & honore coronaſti eum Domine.
℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Ad Magnif. Antiph. O Lux Eccleſiæ, Doctor veritatis, Pontifex Armeniæ, norma charitatis, Prædicator gratiæ, deprecare pro nobis Filium Dei. Alleluja.

Oratio.

Deus, qui per B. Gregorium Pontificem, & Martyrem tuum Armeniæ gentis populum, Regéq; veræ fidei lucem recipere tribuiſti: da Eccleſiæ tuæ de tantis gaudere triumphis, & apud te meritis ejuſdem, & precibus adjuvari. Per Dominum, &c.

Deinde fit comm. S. Hieronymi, & S. Remigii Epiſc. & Confeſſ.

Ad Matutinum.

Invitat. Regem Martyrum Dominum. Venite adoremus.
Pſal. Venite.
Hymnus. Lux ò decora, *ut ſup.*

In 1. Noct. Antiph. Probatus in Chriſto, & perfectus inventus eſt, ideò data eſt illi gloria æterna.
Pſal. Beatus vir, *cum reliq. de commun. unt. mar.*
Antiph. Præcepto Regis non obedivit Gregorius, coronas laureas dijs offerri prætipere noluit.
Pſal. Quare fremuerunt. *Antiph.* Præco ſalutis doctrina Evangelica Armenos erudivit.
Pſal. Domine quid multiplicati.
℣. Gloria, & honore coronaſti eum Domine.
℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.
Lect. 1. Noct. A Mileto, *cum* ℟℟. *de commun. unt. m.*

In 2. Noct. Antiph. Suſpenſus in equuleo Gregorius laudabat Dominum Salvatorem.
Pſal. Cum invocarem.
Antiph. Glorificavit eum Dominus in conſpectu Regis, & oſtendit illi gloriam ſuam.
Pſalm. Verba mea.
Antip. Quaſi Sol refulgens, ſic effulſit Gregorius in Templo Dei.
Pſalm. Domine Dominus noſter.
℣. Poſuiſti Domine ſuper caput ejus.
℟. Coronam de lapide pretioſo.

Lectio iv.

Gregorius Armeniæ Regibus ortus, cũ Patris Anaci tota familia ad necem uſq; quæreretur, infans clàm ereptus, Cæſareæ Cappadociæ educatus eſt. Adoleſcens Chriſtianam legẽ unà cum baptiſmo ſuſcepit, ducóq; ex legitima uxore genuit filios, Orthànem, & Aroſtanem, quos adeò in fide Chriſti erudivit, ut ſanctiſſime uterque vitam finierit. Seceſſerat Cæſaream Teridates Curſari olim Armenorum Regis ab Anaco dolore interempti filius, à Perſis ditione paterna ſpoliatus, cui Gregorius, non ignorans paternũ ſcelus, ſe ſe in ſervitutem tradidit, & cum eo in Armeniam, reſtituto ei à Romanis Regno, poſt multos annos rediit. Ibi à Teridate ſæpius tentatus, ut Idolis ſacrificare vellet, cum renuiſſet conſtantiſſime, innumera tormentorum genera ſubire coactus eſt, ut pene incredibilia videantur.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eũ ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.
℣. Deſcenditq; cum illo in foveã, & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio v.

Nam primò deducitur in tetrum carcerem: in eo ejus lignum immittitur, quod violentiſſime ab inferiori parte ſuperiorẽ diu ſtringeret; onerantur humeri glebis ſalis, qui apud Armenos eſt foſſilis: funibus ſanctũ corpus alligatũ in ſublime trahitur: poſt diẽ ſeptimũ è ſublimi demittitur, altero pede ſuſpenſo, & igne admoto, fumoq; ſuppoſito virgis tetterrimè verberatur; crura tabulis, & fune conſtringuntur, ità ut effluerit ſanguis per ſummos pedes, qui clavis confixi celerare greſſus mox coguntur: caput tabulis quodã inſtrumento interceptũ comprimitur: per fiſtulã è naſo ad cerebrũ ſal aceto mixtum, & nitrũ transfunduntur: calatho fuliginis pleno caput ipſum obruitur, ut ſuffocetur: ferreis ungulis excarnificatur latera, & a ſubjectis muricibus ferreis immaniſſimè cruciatur: genua tibialibus ferreis veſtiuntur, quæ cuneis item ferreis obfirmantur: plumbum liquefactum in os ejus infunditur: ſed invictus Gregorij animus Chriſti fide, ſpeque munitus, tormentis non ceſſit unquam, & divina virtute ſanatus, conſtãtior prædicabat Chriſtum. Unde Teridates actus in rabiem ob patris etiam necem, quam poſteà cognovit ab Anaco factam, ligatum collo, manibus, & pedibus, in lacum Artàxat eum dejici jubet moriturum.

℟. Deſiderũ animæ ejus tribuiſti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudaſti eum.
℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Et voluntate.

Lectio vi.

Poſt annos quatuordecim divina providentia factum eſt, ut Teridates, quaſi alter Nabuchodonoſor probatus, Gregorij velut redivivi ſe ſe ad pedes abjecerit, quem cum Satrapis Regis, myſterijs initiatum, ſacro lavacro purgavit, narrata cœleſti viſione recreavit, & miraculoſa diverſorum ægritudinum curatione confirmavit. Quare propriam deteſtatus Rex contra eum crudelitatẽ, ipſemet Deorũ templa deſtruxit, Eccleſias verò Deo ædificavit, pretioſas veſtes, prædia, theſauros pro divino cultu elargiens. Expoſcebat Rex Gregorium Epiſcopum, quem dubitantem Angelus è Cœlo animavit ad omnia, & à Leontio Cæſareæ Epiſcopo, rogãte Rege, conſecratus est. Armeniæ fines, cum rediret, vix ingreſſus, oratione ſua templum Herculis à fundamẽtis evulſit, & alterum erexit, in quo S. Joannis Baptiſtæ, & martyris Athenogenis ſacras reliquias collocavit. Ingentem hominum multitudinem baptizavit, exorta in cujuſq; capite mirificè cruce. Aperuit ſacrorum lyteraruni gymnaſia. Perſas, Aſſirios, Hunnos, & Medos ad Chriſtianam Rempublicam adduxit ſuis, quibus, & Epiſcopos dedit, & Sacerdotes, & Monachos, multis ab eo ædificatis Monaſterijs. Tandem quietis, & otij divini cupidiſſimus, Aroſtane filio, petente Rege, ſibi ſuffecto in ſolitudinem cum paucis alumnis abijt, ubi jejunio plane admirabili, & contẽplationi deditus, obdormivit in Domino plenus dierum, Conſtantino Magno Imperatore. Ejus ſacras reliquias Chriſtiani ex Armenia ab hoſtibus capta fugientes, in Italiã tranſtulerũt, & Neapoli ſacrum ejus caput cum catenis, quibus vinctus, & virgarum fragminibus, quibus cæſus fuerat, depoſuerũt in nobili Eccleſia in ejuſdẽ honorẽ erecta. Brachium verò in Eccleſia Cathedrali Neritonenſi, cujus Cives Sancti viri miracula ſæpius experti, præſertim in impetrandis à Domino pluvijs, eundem ſibi Patronum elegerunt.

℟. Stola jucunditatis induit eũ Dominus: * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput ejus.
℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potavit illum. Et coronam. Gloria. Et coronam.

Digitized by Google

In 3 Nocturno.

Antiph. Fuit magnus in Armenia magna, maximus in ſalutem Electorũ Dei.

Pſalm. In Domino confido.

Antiph. Direxitus eſt divinitùs in pœnitentiam gentis, & tulit abominationem impietatis.

Pſalm. Domine quis habitabit.

Antiph. Virtutes multas, & miracula per Beatum Gregorium Dominus fecit, alleluja.

Pſalm. Domine in virtute tua.

℣. Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo.

℟. Gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum.

Lect. de homil. in Evang. Si quis venit ad me, *de eodem commu.*

℟. B. Gaudet in Cœlis B. Gregorius Armeniæ Pontifex gloria, & honore coronatus: * Qui pro Chriſti nomine varios, & graves ſuſtinuit cruciatus.

℣. Dedit illi Dominus fortitudinem, & uſque in ſenectutem permanſit illi virtus. Qui pro Gloria. Qui pro.

Nona lect. de S. Remigio.

Ad Laudes, & per Horas,

Antiph. Gaude Mater Eccleſia, adſunt feſta ſolemnia Armeniæ Pontificis, & Martyris Gregorii.

Pſalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Domin.*

Antiph. Lapide ad collum ligato prædicabat Gregorius Dominum Jeſum Chriſtum.

Antiph. Sollicitus Paſtor Gregis Chriſti fuit Gregorius, ac ſtrenuus dæmonum debellator.

Antiph. Idolorũ templa deſtruxit, & ſanctis martyribus nobiles Baſilicas ædificavit, alleluja.

Antiph. O lux Armeniæ, qui martyrio coronari, & inter Pontifices numerari dignè meruiſti.

Cap. & Hymn. ut in 1. veſp.

℣. Juſtus, ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus.

Antiph. O paſtor egregiè Gregori, lux Armeniæ, qui radiante lumine cũ Angelorũ agmine Regem vidiſti gloriæ, vota precandum ſuſcipe, qui laudes tuas hodie perſonant, alleluja.

Deinde fit comm. S. Remigii.

In 2. veſp. omnia, ut in primis.

℣. Juſtus, ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Antiph. O Gregori, martyr Chriſti eſto memor noſtri, ut tuis precibus adjuti æterna gaudia mereamur conſequi, allel.

Deinde fit comm. SS. Angelorum Cuſtodum, ut in Breviario.

Die 4. Octobris.

IN FESTO SANCTI FRANCISCI

Conf. Patr. dupl.

Omnia, ut in Breviario.

Die 10. Octobris.

IN FESTO SANCTI FRANCISCI BORGIÆ

Conf. Patr. dupl. 2. claſſ.

Lect. 1. Noct. Juſtus.

Lect. 2. Nocturn. prop.

Lect. 3. Noct. hom. in Evang. Ecce nos reliquimus *de commun. Abb.*

In 2. veſp. comm. S. Ludovici Bert. Conf.

Die 14. Octobris.

IN FESTO SANCTÆ FORTUNATÆ

Virg. & Mart. dupl.

Omnia de commun. virg. & mart. præter lectiones 2. Noctur. quæ hic habentur.

Oratio.

DEus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula etiam in ſexu fragili victoriam Martyrij contuliſti, concede propitius, ut qui B. Fortunatæ virginis, & martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exẽpla gradiamur. Per Dominum, &c.

In 1. Nocturno lectiones de Script. occur.

In 2. Nocturno.

Lectio iv.

FOrtunata virgo Cæſareæ in Paleſtina nobili genere nata, Fratres habuit, eoſdemq; Fidei Magiſtros, Carponium, Evariſtum, & Priſcianũ, quibus unà cum alijs in perſecutione Diocletiani ſub Urbano Præſide comprehenſis, cum famina carcerem pia Soror frequentaret, ut qualecumque valeret, auxilium Chriſti confeſſoribus præberet, Judici delata in vincula conjicitur. In ijs, tùm impiæ Matris conatus, precesque nefarias, tùm Præſidis minas, & oblatas filij nuptias, velut hoſtes Fidei, ac Martyrij, quod unicè conceperat, conſtantiſſimè ſuperavit. Cum autem in interiora carceris penetralia, ubi Fratres, & Socios detinere cognoverat, à Cuſtodibus admitti obtinuiſſet, ac mutuis ſe ſe orationibus, rerumq; Divinarum colloquiis, ad ultimum Fidei certamen confirmarent: Vox de Cœlo reſonuit, quâ omniũ vota nunciabantur exaudita, & alijs quidem per leviora tormenta, Fortunatæ verò per longè diuturnum agonem Martyrii corona ſpondebatur.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende proſpere procede, & regna. Et deducet te.

Lectio v.

SÆviente igitur Urbano, fortiſſima Virgo capillis divulſis, & veſtibus per ignominiã dilacerata, per Urbem circumducitur: Mox que ferreis, acutiſque ferrea dentibus mediam ſecare tortores aggreſſi, carnem ejus Divinitùs obduratam, nunquam lædere potuerunt. In Amphytheatro feris objecta, nõ modò illæſa permanſit, ſed Leonem ferociſſimum in Præſidem irruentẽ, ſolo imperio coercuit: quo tamen beneficio nihilo mitior redditus Tyrannus talce eidem terebrari, clavisq; confici, ac tandem poſt equuleum ignesq; ſuperatos, caput amputari præcepit. Ea ſententia primùm in Fratres executioni demãdata eſt. Sed cum ad Fortunatam lictor accederet, viſis repente Angelorum, & Virginũ Choris, tremefactus obriguit animo ſimul, & viribus deſtitutus. Illa verò repetitis de Cœlo vocibus ad coronam evocata, poſt brevem orationem invictum ſpiritum Deo reddidit, & ibidem unà cum Sanctis Fratribus à Chriſtianis ſepelitur.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Propterea.

Lectio vi.

SAnctorum Martyrũ corpora clàm inde ſubducta, tranſvehentibus quibuſdam nautis, ecce Angeli de Cœlo deſcendentes in puppi Navis conſederunt, Davidicum illud concinentes: Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus. Ad hæc mirè conſternati quotquot aderant ab ipſamet Fortunata Beatiſſima inter Angelos apparente, bono animo jubentur eſſe, illos itineris duces à Deo Miſſos habituri. Ipſo itaque præeuntibus Campaniæ littus feliciter appulſi, ſacra Martyrũ Lipiana depoſuere: quæ plurimis coruſcantia miraculis ibidem tamdiù quievere, donec regione à Vandalis, Mauriſq; devaſtata Stephanus Neapolitanus Epiſcopus eam Neapolim transferri curavit, Adriano Primo Summo Pontifice, Conſtantino, & Irene Imperantibus. Porrò ſedente Pio IV. venerabiles Reliquiæ iterùm inventæ ſunt in Eccleſia Sanctimonialium S. Gaudioſi, in qua ad hanc uſque diem pridie Idus Octobris magna Populi veneratione coluntur.

℟. Afferentur Regi Virgines poſt eam, proximæ ejus: * Afferẽtur tibi in lætitia, & exultatione.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna; Afferentur. Gloria. Afferentur.

In 3. Noct. homil. in Evang. Simile decem, *de eod. commun.*

Miſſa Loquebar. *Pro virgine, & martyre. Oratio ut ſupra.*

Die 15. Octobris.

IN FESTO S. THERESIÆ

Virg. Patr. Neap. Dupl.

Omnia, ut in propr. ſed lect. 1. Noct. De Virginibus, &c. *ut in commun. VV.*

FESTA NOVEMBRIS.

Die 9. Novembris.

IN FESTO S. AGRIPPINI

Epiſ. & Patr. Neap. Dupl.

Omnia de commun. Conf. Pontificis, præter ea, quæ hic habentur propria,

Oratio.

DEus, qui Gregem tuum ab infidelis hoſtiũ Fide, B. Agrippini Confeſſoris, atq; Pontificis paſtorali ſollicitudine præſervaſti dignare quæſumus, ejuſdem ſuffragantibus meritis, inter oves tuas nos perpetuò cuſtodire. Per Dominum, &c.

In 1. veſp. fit comm. diei oct. ac. omnium Sanctor. & S. Theodori m. ut in Brevia.

In 1. Nocturno.

Lect. de Epiſt. Divi Pauli: Fidelis, *ut in com.*

In 2. Nocturno.

Lectio iv.

AGrippinus Neapoli in Campania natus, & prima ætate Chriſtianis myſteriis, bonisq; moribus imbutus, futuræ Sanctitatis ſpecimen dedit. Orbatus Parentibus, Chriſti conſilium ſequutus, vix ſibi neceſſariis retentis, bona pauperibus elargitus eſt; paterna etiam domo in Oratorium converſa, eo ſita in loco, in quo poſtea extructa Baſilica B. Agrippini nomine dedicata eſt. In demortui Neapolitani Antiſtitis, Antonino Pio imperante, celſiorem locum evectus præclaris magis, magiſq; virtutibus emicuit, quibus antea in privata vita tã unicè effulſerat.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

IN paſtorali officio omnes conatus eo intendit, ut divinus cultus augeretur, & Chriſtiana Religio illibata floreret, eo potiſſimùm tempo-

Digitized by Google

pore, quo Hæretici falſis doctrinis perdere animas, & Chriſti oves mactare contendebant; ad quos confutandos Sanctus Soter Pontifex Maximus ſalutarem dedit epiſtolam, admonens Agrippinum, aliosq; Campaniæ Præſules, ut pervigiles caverent, ne clandeſtina perfidiæ lues commiſſos in greges graſſaretur. Quod Sanctus Antiſtes, & prædicatione Divini verbi, & exemplo integerrimæ vitæ ſolertiſſimę præſtitit; multiq; Infideles divinitùs permoti, ejus opera veri Dei cultum, puramq; Religionem ſuſcepere.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Sic ætate, laboribus plurimis, miriſq; virtutibus exacta, migravit ad Dominū, multis ante, & poſt obitū miraculis effulgens, quinto idus Novembris, ſecundo poſt Chriſtum natum ſeculo, ſepultuſq; in cœmeterio extra mœnia, unde in Sancti Salvatoris Templum tranſlatus eſt, confluentibus ad ejus ſepulchrum cultoribus fama ſanctitatis, & prodigiorum adductis. Cum præſertim viſus quandoq; fuerit unà cum B. Januario adeſſe S. Severo morienti; & Civitati obſeſſæ auxilium ferre de Cœlo. Idcircò Neapolitani Cives, aliique finitimi Baſilicas, & oppida inſignita Agrippini nomine ædificarunt. Cujus ſacrum Corpus ſub Ara maxima Principis Eccleſiæ nunc venerationi habetur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. noct. homil. in Evangel. Vigilate, *9. lect. S. Theodori m. cum ejus comm. in laud.*

In 2. veſp. comm. S. Andreæ Avellini Conf. Pat. *Ant.* Similabo. ℣. Amavit. *Orat.* Deus, qui nos, &c. *de commu. & com. SS. Tryphonis, &c. mm. ut ſubs.*

Die 10. Novembris.

IN FESTO S. ANDREÆ AVELLINI

Conf. Patr. Neap. dupl.

In 1. Noct. lect. Juſtus, &c. *In 2. Noct.* B. Andreæ dies, &c. *In 3. Noct. homil. in Evang.* Sint lumbi, &c. *de commu. 9. lect. SS. Tryphonis, &c. mm. & comm. in laudibus. In 2. veſp. comm. S. Martini Epiſcop. Confeſſ. & S. Mennæ mart.*

Die 28. Novembris.

IN FESTO BEATI JACOBI

Conf. Patr. Neap. dupl.

Oratio. Deus, qui nos, *de comm. In 1. Noct. lect.* Juſtus, &c. *In 2. Noct.* B. Jacobi dies. *In 3. Noct. hom. in Evang.* Sint lumbi, &c. *de commu. Confeſſ. non Pontif. In 2. veſp. comm. S. Saturnini m.*

LAUS DEO.

Digitized by Google

zed by Google

ized by Google

Digitized by Google

Die 19. Januarii.

IN FESTO TRANSLATIONIS RELIQUIAR. S. THOMÆ DE AQUINO

Conf. Patron. dupl.

In 2. veſp. Cathedr. S. Petri, fit commem. S. Pauli, & demum S. Thomæ.

Antiph. O Doctor optime, Eccleſiæ Sanctæ lumen, Beate Thoma, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

℣. Amavit eum Dominus, & ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

Oratio.

DEus, qui nos B. Thomæ Confeſſoris tui annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus Translationem colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum, &c.

Deinde fit comm. SS. Marii, &c. mm.

In 1. Noct. lect. de Script. occurr.

In 2. Noct. de ejus feſto 7. Martii.

In 3. Noct. homil. in Evang. Vos eſtis ſal terræ, *&c. de commu. Doct.*

℟. 8. In medio, *9. lect. de comm. SS. Marii, &c. mm.*

In 2. veſp. à cap. de SS. Fabiano, &c. mm. commem. S. Thomæ. Antiph. O Doctor, *ut in 1. Veſp.*

F E S T A   F E B R U A R I I.

Die 3. Februarii.

IN FESTO SANCTI BLASII Epiſc. & Mart.

Patr. Neap. dupl.

In 2. Veſp. Purificat. fit commem. S. Blaſii.

In 1. noct. A Mileto, *de commu.*

In 2. noct. 1. lect. prop. 2. & 3. Triumphalis.

In 3. nocturn. homil. in Evang. Si quis vult, *de commu.*

F E S T A   M A R T I I.

Die 7. Martii.

IN FESTO SANCTI THOMÆ DE AQUINO

Conf. Doct. Patr. dupl.

Officium, ut in Brev.

F E S T A   A P R I L I S.

Die 2. Aprilis.

IN FESTO S. FRANCISCI DE PAULA

Conf. Patr. dupl.

Lect. 1. noct. Beatus vir, *vel q. ut in Brev.*

Die 5. Aprilis.

IN FESTO TRANSLATIONIS S. ATHANASII

Epiſcop. Conf. Patr. ſemiduplex.

In Civitate, & Suburbiis tantum. Extra Civitat. fit de S. Vincentio Ferrerio Conf. ſemid. ad libit. ut in Breviario.

In hymno Veſper. Hac die lætus meruit ſupremos laudis honores.

Oratio.

EXaudi, quæſumus Domine, preces noſtras, quas in Beati Athanaſii Confeſſoris tui, atque Pontificis Translatione deferimus: & qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos abſolve peccatis. Per Dominum, &c.

Lect. 1. noct. de Scrip. occur. in Quadrageſima vero, Fidelis ſervus, *de commu. Conf. Pont.*

In 2. Nocturno.

Lectio iv.

ATHanaſius Neapolitanis Ducibus natus, quem Pii Parentes Sancti Athanaſii Alexandrini precibus ſuſceperant, ejuſdemque poſteà invicta conſtantia æmulatorem, hoc appellarunt nomine. A pueritia Clericali militiæ adſcriptus, Beato Joanni Neapolitano Antiſtiti erudiendus traditus eſt; qui doctrina, tanta emicuit pietate, literiſque, ut meritò à Leone Quarto Pontifice, Civium precibus annuente, Neapolitanus Epiſcopus fuerit renunciatus, & conſecratus. Eccleſiaſticos proventus, domeſticumque patrimonium in Templorum, Pauperumque inopiam ſublevandam erogavit; multas Saracenorum incurſibus pene dirutas inſtauravit Baſilicas, eaſque prædiis, ſacris veſtibus, vaſiſque pretioſis locupletavit. Miniſtros Altaris Hebdomadarios in Templo maximo à ſe inſtitutos, proprio dotavit ære. Pauperibus, & Peregrinis hoſpitium aperuit; multamque pecuniam ad captivos è Barbarorum ſervitio vindicandos mira charitate profudit.

℟. Inveni David ſervum meum oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

ABſtinentia fuit incredibili, frugali menſa utens, eſum carnis ſibi perpetuò interdixit. Corpus non cilicio ſolum, flagriſque, ſed graviſſimo etiam plumbi pondere, à cervice ad talos extenſo affligebat, lapideque capiti ſuppoſito, in lectulo humi ſtrato cubabat. A Nicolao Primo Pontifice Romam accerſitus, magno honore eſt habitus, ac Lateranenſi in Synodo, unà cum aliis Patribus, tertio loco aſſidens, Joannem Ravennatem inſanientem antea contra Eccleſiam, qui poſtea reſipuit, confutavit. Neapolim regreſſus, à Sergio fratris filio, non impietatis homine, Athanaſii objurgationes indignante, detruſus in carcerem, indeque Cleri opera cum univerſa Civitatis gaudio ereptus eſt.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

COnſtanter deinde obſiſtens iniquæ contra Eccleſiaſticam libertatem poſtulationibus Sergii, ejus opera depulſus à ſede, ejuſdem ſupra viginti coactus exulare, plurimas per id temporis ærumnas perpeſſus eſt; quibus tandem confectus, Verulis obiens cæleſtem in Patriam receptus eſt, ætatis anno quadrageſimo primo, Idibus Julii, poſt Chriſtum natum octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Corpus miraculis clarum, Caſſinum primum in montem, mox Neapolim, quinto poſt obitum anno, integrum adhuc repertum, ſolemni ſupplicatione translatum eſt; cujus translationis memoria nonis Aprilis anniverſaria feſtivitate recolitur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deũ magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omniũ populorũ.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cæleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noctur. homil. in Evang. Vigilate, *de commun. cum 2. Veſp.*

-Die 27. Aprilis.

IN FESTO S. MARIÆ ÆGYPTIACÆ

Patronæ duplex.

Offic. de communi Mulierum Sanctarum.

Oratio.

CLementiſſime Deus, qui omnipotentiã tuã parcendo maxime, & miſerando manifeſtas: multiplica ſuper nos miſericordiam tuam, ut, intercedente Beata Maria Ægyptiaca, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſolvat. Per Dominum, &c.

In 1. noct. lect. Mulierem fortem.

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

MAria Ægyptiaca in ipſo juventutis flore parentum diſciplinam, & affectum contemnens, ætatis anno duodecimo in Alexandriam Urbem clanculum profugit, annis ſeptemdecim illic impudice tranſactis, videns Libiorum, & Ægyptiorum plurimos in feſto Exaltationis Chriſti Crucem veneraturos, Jeroſolymam conſcendere, cum eiſdem profecta, neque in itinere, neque in Sancta Civitate quidquam ſuæ intemperantiæ remiſit. Ubi verò ſub illius feſtivitatis diem cum reliquis Peregrinis Eccleſiam ingredi ſæpe perteniat, divina virtute ſemper repulſa, cœpit cogitare, unde in eam liberè aliorum ingreſſis ſibi toties negaretur introitus.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna. Et deducet te.

Lectio v.

ITaq; in atrio Templi divinitùs edocta, propter peccatorum ſordes ſibi ab aſpectu ſanctæ Crucis arceri, corde compuncta, Beatæ Mariæ Virginis, cujus imaginem ibidem conſpexit, ſuffragia, ſuſpiriis, & lacrymis imploraverit, firmiter promittens antéactæ vitæ pœnitentiam. Hac melioris vitæ data ſponſione intra Templum recipitur, ſacroſanctum Crucis lignum adorat, & divina proſpicit arcana, per quæ docetur, quanta ſit pietas Dei erga pœnitentes. In atrium regreſſa eamdem Dei Genitricem rogans, ut pœnitentiæ modum, & locum præſcribat, vocem audit Jordanis, ut Jordanis flumen pertranſeat: Itineri extémpo accincta, tres nummos à quodam pertranſeunte accepit, quibus totidem panes comparavit.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Propterea. *Lectio vi.*

SAnctiſſimis Sacramentis in Eccleſia S. Joannis Baptiſtæ ad ripa fluminis munita, tantum panis dimidio, in vaſtam ſolitudinem trans Jordanem ſe recepit, ubi reliquo pane, crudiſque herbis annos quadraginta ſeptem ſub intenſo Solis ardore, & hyemis inclementia, abſque ullo corporis tegumento victitavit; Mirum, quos dæmonum ſenſit inſidias, & animi perturbationes invicta ſuſtinuit. Viſa tandem à Zoſima Abbate viro ſanctiſſimo per eandem ſolitudinem aberrante, curavit ei omnẽ vitæ ſuæ rationem enarrare. Mirabili tunc conſolatione repleta, mœroris præſcia, ad ejus Monaſterium ambulans ſuper aquas Jordanis, acceſſit; ubi ſacroſanctis refecta ſacramentis, in ſolitudinẽ regreſſa, ibi non hinc quievit. Illius corpus, miniſterio Leonis terram effodientis, Zoſimas ſepelivit, ejuſq; vitam, & mortem omnibus propalavit, quam Sanctus Sophronius Patriarcha Jeroſolymitanus graviter conſcripſit.

℟. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipſa laudabitur.

℣. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria Patri. Mulier.

In 3. Noctur. hom. in Evang. Simile theſauro, *ut in communi Mulierum Sanctarum.*

Die 29. Aprilis.

IN FESTO SANCTI PETRI MARTYRIS

Patr. dupl.

Lect. 1. noct. Fratres debitores, *de communi plur. mart. reliq. ut in Breviar.*

In 2. Veſp. comm. ſeq.

Die 30. Aprilis.

IN FESTO SANCTI SEVERI

Epiſc. Conf. Patr. dupl. *Oratio.*

DOmine Deus omnipotens, qui B. Severum Confeſſorem tuum, atque Pontificem, ita mirabilem effeciſti, ut ad veritatis teſtimonium mortuum de ſepulchro revocaverit: da quæſumus, ut ipſius interceſſione Majeſtati tuæ fideliter ſerviamus. Per Dominum, &c.

Digitized by Google

In 1. Nocturn. Lectiones de Epiſt. Divi Pauli: Fidelis, &c. ut in commun.

In 2. Nocturno. Lectio iv.

SEverus Neapolitanus, poſt B. Maximum Patriæ præficitur Præſul; qui in munere maxima ſanctitatis argumenta, virtutumq; præſtitit. S. Ambroſio Mediolanenſi, à quo accepit Epiſtolam, chariſſimus: imò Ethnicis ipſis, teſte Symmacho, Chriſtianæ Religionis alioqui infenſis, mirè laudabilis. Multas Neapoli conſtruxit baſilicas: illamque præcipuè extra mœnia, Divo Januario ſacram, in qua corpus ipſius Beatiſſimi Præſulis, & Martyris, ex Marciano tranſlatum, propriis condidit manibus; mortiſq; non immemor, ſibi, adhuc vivens conſtrui mandavit ſepulchrum.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluja.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

MUlta præterea Sanctus Epiſcopus admiranda edidit, quorum illud maximè memorandum, quòd cum falſus creditor mulierem pecuniam à quadam Vidua repeteret, quod à defuncto ejuſdem marito ſibi debitum mentiebatur, ideòque mater illa, cum filiis ſervituti eſſet addicenda: Severus, re cognita, commiſeratione permotus, accerſitum mendacem illum, unà cum Clero, aliiſque multis ad locum, in quo defunctus jamdiù jacuerat, ſecum duxit; & poſt preces magna cum fide ad Deum profuſas, mortuum revocavit, qui ſtatim redivivus, ſe pecuniam ullam debere, negavit; quo dicto, iterum obdormivit. Verum Sanctus Antiſtes, etiam in hunc Creditorem pius, vetuit, ne ob hoc mendacii crimen, mali aliquid pateretur.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluja.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

TOt, tantiſq; charitatis, ac pietatis operibus plenus, gravem in morbum incidit. Mortis propinquus conciliavit Deo anathemate ſejunctos, peractiſque ſacris myſteriis in ejus Cubiculo à cuncto Clero ad id convocato, ipſe in oratione defixus, ubi ſunt, inquit, fratres mei? Tunc qui aderant, arbitrantes, Sanctum Epiſcopum Diaconos accerſere, eos adeſſe, reſponderunt; at ille non iſtos, ſed Sanctos Januarium, & Agrippinum volo, qui modò hic adfuerunt, ſeque illicò præmiſere redituros. Extenſis deinde in Cœlum manibus, in illa verba: Ad te levavi oculos meos, qui habitas in Cœlis, concuſſo per terræmotum cubiculo, ad eum, qui in Cœlis habitat, evolavit, pridie kal. Maii. Corpus prius in ſua crypta, poſtmodum in æde Divi Georgii honorificè conditum fuit.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. Alleluja.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noct. homil. in Evang. Vigilate, de commun. Conf. Pont.

In 2. Veſp. fit de SS. Apoſt. Philippo, & Jacobo, commem. S. Severi.

FESTA MAII.

Dominica 1. Maii.

IN FESTO TRANSLATIONIS S. JANUAR. Epiſc. & Mar. princ. Patr. Civit. & Regni, duplex majus.

Ad Veſp. Ant. pro. Sancti, tui Domine, cum reliquis de commun. Mart. temp. Paſch. *Oratio.*

DEus, qui nos B. Januarii Martyris tui, atq; Pontificis annua ſolemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus Tranſlationem colimus, de ejuſdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

Deinde fit com. Dom. occ. Lect. 1. Noct. A Mileto.

In 2. Nocturno. Lectio iv.

QUo tempore Beatus Pôtifex Januarius pro Chriſti confeſſione Puteolis capite plexus eſt, venerabilis ejus cruor, quem pro Chriſtianæ fidei veritate conſtantiſſimè fuderat, pie collectus, atque in duabus vitreis ampullis reconditus eſt. Poſtrò verò, pace Eccleſiæ reddita, Sanctus Severus, ædificata jam propè Neapolim S. Januarii Baſilica, ſacratiſſimum Martyris Corpus, cum magna Neapolitani Cleri, Populique frequentia, iis etiam, qui de genere B. Januarii erant, comitantibus, Neapolim religioſiſſimè tranſtulit. Et Corpus quidem ejus in Baſilica condidit. Cruoris verò ampullæ ad hanc uſque diem ſeorſum ſervatæ, illuſtre miraculum ſpectantibus exhibent. Nam cum è regione ſacri Capitis pro Chriſto capitis ponuntur, cruor admirandum in modum colliquefieri, perinde, atq; recens effuſus, ad hæc uſque tempora cernitur.

℟. Lux perpetua lucebit Sanctis tuis Domine: * Et æternitas temporum. Alleluja.

℣. Lætitia ſempiterna erit ſuper capita eorũ, gaudiũ, & exultationẽ obtinebũt. Et æternitas.

Sermo Sancti Joannis Chryſoſtomi.

Tom. 6. orat. de Martyr. *Lectio v.*

SÆpenumerò, chariſſimi, ſub auroram Solem exorientem vidiſtis, & quaſi croceos radios emittentem. Talia Sanctorum erant corpora, dum veluti crocei quidam radii, rivi ſanguinis, undique ex illis defluerent, totumque corpus nitidè, quam Cœlum Sol ipſe, ſplendidius illuſtraret. Hunc ſanguinem Angeli contuentes oblectabantur, dæmones horrebant, & ipſe diabolus tremebat. Non enim ſanguis erat ſimpliciter, quod cernebatur, ſed ſanguis Cœlo dignus, ſanguis, qui pulchras Eccleſiæ arbores per rerum irrigationes fœcundat.

℟. In ſervis ſuis, alleluja: * Conſolabitur Deus, alleluja.

℣. Judicabit Dominus populum ſuum, & in ſervis ſuis. Conſolabitur.

Lectio vi.

VIdit hunc ſanguinem, horruitque diabolus; recordatus eſt quippe alterius ſanguinis Dominici. Propter illum ſanguinem hic effluxit. Ex quo enim Domini latus apertum eſt, deinceps deinde latera effuſa contineris. Quis enim non ſummo cum alacritate gaudiorum, ſeſe ad agones iſtos mittendos, Dominicis paſſionibus communicaturus, & Chriſti morti conformis futurus, accingeret? Eſt enim ſufficiens hæc retributio, & amplior merces, & quod certamina excedit, præmium, vel illud etiam, quod ingreſſum in Cœlorum Regnum conſequimur.

℟. Filiæ Jeruſalem, venite, & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus: * In die ſolemnitatis, & lætitiæ, alleluja.

℣. Quoniam confortavit ſeras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria Patri. In die.

In 3. Noct. homilia Evang. Ego ſum vitis vera, 9. lect. & comm. Dom. & cum 2. veſp. in quibus comm. Dom.

Die 14. Maii.

IN FESTO S. POMPONII Epiſcopi Neapolitani dupl.

In 1 Veſp. omnia de commun. Conf. Pontif.

Oratio.

DEus, qui B. Pomponium Confeſſorem, atq; Pontificem beneficentiæ tuæ theſauris locupletaſti: da, ut ejus auxilio, & imitatione, cœleſtes miſericordiæ tuæ divitias conſequamur. Per Dominum, &c.

Deinde fit comm. S. Bonifacii mart.

Lectiones 1. Noctur. de ſcript. occurr.

In 2. Nocturno. Lectio iv.

POmponius nobilitate generis, ac ſapientia conſpicuus, poſt B. Alpertum vigeſimus ad Neapolitanam ſedem evectus, ſolicitudine quâ maxima diſudavit, ut commiſſas ſibi oves Chriſtianæ pietatis pabulo uberibus enutriret, ab Arianæ contagione tutatus, ne perfidiæ locus inhiberet, cum Theodoricus Gothorum Rex hæreticus, Neapoli potitus, Catholicos infeſtaretur. Ejus audaciæ Sanctus Antiſtes cõſtantiſſimè reſtitit, commendatus ideircò à Joanne Pontifice Maximo, qui ab eodem impio Rege Ravennæ mancipatus carceri, vinculiſque conſtrictus, Apoſtolicam ſcripſit epiſtolam, qua ſuum monitis, ſuis exemplis omnes Italiæ Præſules ad orthodoxam fidem propugnandam hortabatur.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluja.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

REliquas inter virtutes, præcipuum erga Deiparam amorem, cultumque exhibuit, cui templum titulo Sanctæ Mariæ Majoris, ſive exaltatum nuncupari voluit, nunc temporis in primas mole, & ſtructura magnificum, quod à Romano Pontifice conſecratum, multiſque locupletatum Indulgentiis, magno ſemper in honore à Neapolitanis ipſis Regibus habitum eſt. Multam præterea gregi ſuo in publicis ærumnis profuit, eique prſtantiſſimam opem precum ſuffragiis impetravit. Demum poſt Eccleſiam ſuã, per annos octo ſupra viginti, magna prudentia, ac pietate gubernatam, pridie kalendas Maii, quinto poſt Chriſtum ſeculo, ad cœleſtem vitam exceſſit.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluja.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

SAcrum corpus ſub Ara maxima ejuſdem Baſilicæ humatum miraculis effulſit; ex quo perhibent prodigioſum liquorem olim effluxiſſe, medendis animorum, corporumque morbis aptiſſimum. Vixit Hormiſda, Joanne, Felice, ac Bonifacio Summis Eccleſiæ Pontificibus imperante Juſtino. Feſtum diem ſolemni ritu Neapolis pridie Idus Majas celebrat. Et Clerici Regulares Minores fundatam à Sancto Antiſtite Baſilicam, in recentiorem formam affabre redactam, incolentes, honorifico cultu quotannis pariter venerantur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. Alleluja.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mũdi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noct. homilia in Evang. Vigilate, de commun. Conf. Pont. 9. lect. ex duabus, & comm. S. Bonifacii in Laud. & Veſp.

Die 17. Maii.

IN FESTO SANCTÆ RESTITUTÆ, Virg. & Mart. dupl.

In 1. Veſp. omnia de commun. V. & M. *Oratio.*

DEus, qui B. Reſtitutam Virginem, & Martyrem tuam illæſam in flammis cuſtodiſti; ejuſdem nobis interceſſione concede, ut, tua charitate ſuccenſi, ab ardoribus ſemper cultis arceamur. Per Dominum, &c.

In

Digitized by Google

In 1. Nocturno lectiones de ſcript. occur. In propria autem Eccleſia Confitebor, *de commun.*

In 2. Nocturno. Lectio iv.

Reſtituta Virgo, Penizarij in Africa nata, generis ſplendore non magis, quàm divinæ ſapientiæ claritate refulſit. Quod verum Religionem profiteretur delata, Carthaginem ad Procunſulem impietatis Præfectum adducitur, ac tum minis, tum blanditijs attentata, animum obfirmavit, certa potius mori, quàm ut Virginitatem, aut Fidem perderet. Tùm Præſes ſubeuntem equuleo torqueri, capillis ſuſpendi, pectusque ingenti clavo defigi jubet. Cum tamen nihil vinceret, magicis artibus tribuens invictam conſtantiam, ad incendium in pelago passim damnat.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua. Alleluja.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſperè procede, & regna. Et deducet.

Lectio v.

Vinculis itaque conſtricta, in Naviculam ſarmentis, ſtuppa, pice, reſinaque refertam immittitur, ac quindecim ſtadijs procul à littore pelagus admotus, divino nutu nihil Virgini nocuit, incendiarios omnes abſumpſit, ac proximos, qui ea erant navim repentè demerſit. Ad ſpectaculum ardentior in Deum Reſtituta, oculis ad Cœlum erectis exclamavit: ò altitudo Potentiæ, & Clementiæ tuæ, Domine! ubi eſt ſuperbia impiorum? Jube me Domine ad æternæ ſalutis Portum pervenire. Qua in oratione duplicem conſignuta Virginis, & Martyris palmam vivere ceſſit, decimoſexto Kalendas Junias, Valeriano Imperatore. Tùm Navicula, qua vehebatur, ſine velo, ac remige, ad Ænariam Inſulam in Campania, ſalva divinitùs appulit.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. Alleluja.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitia. Propterea.

Lectio vi.

Ejuſdem Inſulæ pia quædam mulier Lucina, ab Angelo de his omnibus in ſomnis admonita, atque ut illibatum Virginis corpus decoro conderet tumulo, expergefacta, in loco, quē ad Ripas vocant, ærarium tanti Theſauri nacta eſt, accerſitoque ad prodigium populo, non ſine debito gratiarum obſequio, exequendis Dei juſſis operam dedit. Hic permanſit Conſtantinus inter Cæſares Magnus, ſacras reliquias in Baſilica à ſe erecta Neapoli, Reſtitutæ titulo inſignita, honorificè tranſlatas depoſuit. Feſtus dies à Clero, maximèque à Venerabili Canonicorum Collegio ſolemni pompa celebratur ad Patriæ tutelam, & gloriam.

℟. Afferentur Regi Virgines poſt eam proximæ ejus: * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione. Alleluja. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſperè procede, & regna. Afferentur. Gloria. Afferentur.

In 3. Noct. homil. in Evang. Simile erit Regnū Cœlorum decem Virginibus, *de eod. commun.*

In 2. Veſp. comm. S. Venantij Mart.

Die 23. Maij.

IN FESTO S. EUPHEBIJ

Epiſ. Conf. Patr. dup. *Oratio.*

Deus, qui populo tuo in multis periculis conſtituto, B. Euphebij Confeſſoris, atque Pontificis tui mira vigilantia providiſti: concede propitius, ut cujus glorioſa veneramur merita, peremnibus auxilijs muniamur. Per Dominum.

Lect. 1. Noct. Fidelis.

In 2. Nocturno. Lectio iv.

Euphebius Neapolitanus, vitæ ſanctimonia, & prodigiorum magnitudine illuſtris, poſt Euſtachium illius Urbis Antiſtitem, omnium ſuffragijs, ſolus ipſe reluctans, inſtituitur Epiſcopus, Divini honoris tuendi zelo ſuccenſus, ſedulò curavit, ut cultores Idolorum, barbaræque nationes, tunc temporis Campaniam incolentes, ad ſuperſtitionem novitium Chriſti gregem traducerent, ſi quas verò aberrantes oves reperiſſet, ſalutis in paſchua reducebat.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluja. ℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

Eccleſia ſua ſanctiſſimè gubernata, exceſſit è vita, decimo kal. Junij, ſeptimus poſt Beatū Aſprenum Antiſtes. Corpus admirando fragrās odore, extra mœnia conditum, mox poſt Barbarorum incurſus, Salvatoris in Baſilicam, deindè in alteram Divo Euphebio ſacram tranſlatum eſt, quod longa poſt tempora, Sixto Quinto Pontifice, cum corporibus Beatorum Fortunati, & Maximi, Neapolitanorum Antiſtitum, ibidem repertum eſt. Caput verò in Sacro Reliquiarum Theſauro maximi Templi, pia Civium veneratione colitur.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. Alleluja.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Nec vivens modò, ſed defunctus quoque, civibus ſuis mirificè profuit; Sacerdotem namque ad ejus Sacellum operantem ſacra, ſervavit incolumem à diſtrictis Saracenorum gladijs, qui ne adſtantem quidem aſpexerunt. Perjuro debitori, qui impio Sacramento ante ejus ſepulchrum pecuniam debitam ſe reddidiſſe aſſirmaverat, in ſomnis apparens, acriter interminatus eſt, eique præcepit, ut Creditori, qui eidem Sancto Antiſtiti ſe commendaverat, illicò ſatisfaceret. Illud præcipuè memorandum, quòd Saracenos Neapolim obſidentes, miſum in modum fugaverit, imminentemque cladem Patriæ impendentem averterit. Quem idcò Civitas univerſa, tanto obſtricta beneficio, ſuum in Patronum elegit.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. Alleluja.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mūdi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noct. homil. in Evang. Homo peregrè, *de eod. commun.* Cum 2. *Veſp.*

Die 25. Maij.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ

de Pazzis Virg. Patr. dupl.

Lect. 1. Noct. De Virginibus, *reliq. ut in Brev.*

Die 26. Maij.

IN FESTO S. PHILIPPI NERII

Patron. Cler. & Civit. Neap. dupl. 2. claſſ.

Lect. 1. Noct. Juſtus, *reliq. ut in Brev.*

Die 13. Junij.

IN FESTO SANCTI ANTONII DE PADUA

Conf. Patr. dupl.

Lect. 1. Noct. Juſtus, *reliq. ut in Brev.*

In 2 Veſp. comm. S. Baſilij.

LAUS DEO.

Digitized by Google

OFFICIA
SANCTORUM
PATRONORUM

Recitanda in Civitate, & Diœceſi Neapolitana.

P A R S   Æ S T I V A.

KALENDARIUM SANCTORUM,
Quorum Officia ſunt recitanda in Civitate, & Diœceſi Neapolitana.

Junius.

22 Joannis Epiſc. Neap. *dupl.*

Julius.

7 Dedicat. Eccleſ. Neapol. *dupl. 1. claſſ.* cum octava.
15 Atanaſii Epiſc. Neap. Patr. *dupl.*
24 Liborij Epiſ. Conf. *ſemid. ad libit.*

Auguſtus.

3 Aſpreni primi Epiſ. Neap. Patr. *dupl.*
4 Dominici Conf. Patr. *dupl.*
7 Cajetani Conf. Patr. *dupl.*
12 Claræ Virg. Patr. *dupl.*
25 Patritiæ Virg. Patr. *dupl.*
29 Decollatio S. Joſ. Baptiſtæ Patr. *dupl.*

September.

4 Candidæ ſenioris primæ Chriſtianæ Neapol. *ſemid.*
5 Candidæ junioris Patr. *dupl.*
19 Januarij Epiſ. & Mart. Præcipui Patr. Civit. & Regn. Neap. *dupl.*
29 Ded. e. S. Michaelis Arch. Patr. *dupl.*

October.

1 Gregorij Arm. Epiſ. Mart. Patr. *dupl.*
4 Franciſci Conf. Patr. *dupl.*
10 Franciſci Borgiæ Conf. Patr. *dupl.*
14 Fortunatæ Virg. Mart. *dupl.*
15 Thereſiæ Virg. Patr. *dupl.*

November.

6 Agrippini Epiſc. Patr. *dupl.*
10 Andreæ Avellini Conf. Patr. *dupl.*
28 Jacob. Conf. Patr. *dupl.*

F E S T A   J U N I I.

Die 22. Junii.

IN FESTO SANCTI JOANNIS
Epiſc. Neap. dupl.

In 1. veſp. omnia de commun. Conf. Pontif. Orat io

DEus, qui B. Joannem Confeſſorem, atque Pontificem, meritis onuſtum, ad Cœleſtê Regnum, Beati Paulini vocibus advocaſti: præſta, ut ejuſdem natalitia venerantes, & recta veſtigia ſecuti, ad æternæ vitæ paſcua perducamur. Per Dominum, &c.

Deinde fit commem. S. Paulini Epiſc. Conf. Ant. Euge. ℣. Juſtum, *de laud.*

Lect. 1. Noct. de ſcriptur. occur.

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

JOannes Neapolitanus, non virtutibus minùs quàm doctrinis excultus, à Gregorio IV. Pontifice Maximo, Cleri electione, precibusq; Populi ſuffragante, Patriæ inſtitutus Antiſtes. Mira in pauperes, in ærumnoſos charitate, omniû bono natus, exarſit. Nullius maleficia, niſi beneficiis vindicavit; neque in flagitioſos homines viſus eſt unquam, ſed in ſola flagitia indignari. Tam demiſſi animi eximia virtute præcelluit, ut ſubditus omnibus malo erit videri, quàm Præſul non alio, quàm Juſti, ac Sancti nomine nuncupatus. Cujus propterea intemeratæ fidei Neapolitani Dux filium Athanaſium, ſacræ inſulæ, ac Sanctitatis heredem, doctrinis imbuendum, & piis moribus tradidit.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eû: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

TOt, tantiſq; animi dotibus ſapiêtia inſignis, prudentiaq; acceſſit. Codices plures, utiliſque conſcripſit. Civitatem à Saracenis terra, marique obſeſſam, opera, & conſilio juvit, eique à Sicardo Longobardorum Principe pacem obtinuit. Maximum Templum ſacra ſuppellectili aurea, & argentea donavit, atque in vita ſtictos etiam pius, deceſſorum Antiſtitum corporibus in Stephaniæ Baſilicam translatis, & monumenta poſuit, & Imagines ſepulchrales appinxit. Tot denique virtutibus, geſtiſque, præclaram vitam obitu beatiſſimo terminavit.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. ℣. Inveni David ſervum meû; oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

DIgnus namq; in morte fuit, ut eadê nocte, quæ ſupremam Chriſti cœnam antecedit, B. Paulinum Nolanum Antiſtitem in ſomnis oblatum proſpiceret, & invitantem ad Cœlum ſereno vultu, & ſuaviſſimis his vocibus audiret. Joannes frater, quid hîc agis? exolve jam vincula, & ad nos evola. Eo conſpectu, & allocutione inflammatus, anhelans ad Cœleſtia, ſabbathi poſt Paraſceven die, validus proceſſit ad Templum, & oratione, ad Populum habita, ad Altare perrexit, indeque repentè animam exſpirans ad Cœli Templum emigravit, anno octingenteſimo quadrageſimo nono. Sacrû corpus ſub Ara maxima Eccleſiæ S. Reſtitutæ venerationi habetur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deû magnas virtutes operatus eſt: & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omniû populorû.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mûdi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noctur. homil. in Evangel. Vigilate, ut in communi. Nona lectio ex duabus S. Paulini Ep. Conf. & commem. ejuſdem in laudibus.

Die 7. Julii.

IN FESTO DEDICAT. CATHEDR. ECCLES.
Neapolit. dupl. 1. claſſis cum Octava.

Omnia, ut in commun. Dedic. Eccl. or. Deus, qui nobis per ſingulos annos, &c.

Et in 1. veſp. non fit commem. diei octavæ SS. Apoſt. Petri, & Pauli.

Extra Civit. & ſuburb. non celebratur octava hujus feſti. Ideò conſule ordin.

Die 8. Julii.

Secunda die infra octavam.

Lect. 1. Nocturni de ſcriptur. occurr.

In 2. & 3. Noct. ut in 2. die infra octav.

Die 9. Julii.

Tertia die infra octavam.

Lect. 1. Noctur. de ſcript. occurrente.

In 2. veſp. à cap. de 11. Septem Fratribus mm. commem. octavæ.

Die 10. Julii.

Quarta die infra octavam.

Fit de 11. Sept. Fratrib. mm. ſemid. comm. oct.

In 2. veſp. à cap. de oct. comm. ss. Septem Fratrum, & Pii Pp. mart.

Die 11. Julii.

Quinta die infra octavam.

Lectio 1. Noct. de ſcript. occurrente.

In 2. & 3. Noct. ut in 5. die infra oct. 9. lect. & commem. s. Pii Pap. mart.

Veſp. de s. Joann. Gualb. Abb. dupl. comm. oct. & ss. Naboris, & c. martyr.

Die 12. Julii.

Sexta die infra octavam.

Fit de s. Jo. Gualberto Abb. dupl. comm. octav. & ss. Naboris, & c. mm.

In 2. veſp. comm. S. Anacleti Pp. m. & octav.

Die 13. Julii.

Septima die infra octavam.

Fit de S. Anacleto Pp. m. ſem. comm. oct. Veſp. de die octa. Dedicat. dupl. omnia, ut in 1. veſper. feſti, comm. S. Anacleto Pp. m.

Die 14. Julii.

In die octava Dedicationis dupl. omnia, ut in die, præter lect. 1. Noct.

Veſp. de S. Athanaſio Epiſc. Conf. Patr. dupl. ut in communi.

Oratio.

OMnipotens æterne Deus, qui B. Athanaſiû Confeſſorem tuum, atq; Pontificem invicta conſtantia roboraſti: te ſuppliciter exoramus, ut illo intercedente, ab exequendis mandatis tuis, nulla hoſtium oppugnatione deſiſtamus. Per Dominum, &c.

Et fit comm. diei oct. Dedicat.

Die 15. Julii.

IN FESTO SANCTI ATHANASII
Epiſc. Neap. Patr. dupl.

Lect. 1. Nocturni Fidelis, de communi.

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

ATHanaſius Neapolitanis Ducibus natus, quem pii Parentes S. Athanaſii Alexandrini precibus ſuſceptum, ejuſdemque poſteà invictæ conſtantiæ æmulatorem, hoc appellarunt nomine. A pueritia Clericali militiæ adſcriptus, Beato Joanni Neapolitano Antiſtiti erudiendus traditus eſt, quo doctore, tanta enituit pietate, litteriſque, ut meritò à Leone Quarto Pontifice, Civium precibus annuente, Neapolitanus Epiſcopus fuerit renunciatus, & conſecratus. Eccleſiaſticos proventus, domeſticumque Patrimonium in Templorum, Pauperumque inopiam ſublevandam erogavit; multas Saracenorum incurſibus penè dirutas inſtauravit Baſilicas, eiſque prædiis ſacris veſtibus, vaſiſque pretioſis locupletavit. Miniſtros Altaris Hebdomadarios in Templo maximo à ſe inſtitutos proprio ditavit ære. Pauperibus, & peregrinis hoſpitium aperuit; multamque pecuniæ ad captivos e Barbarorum ſervitio vindicandos mira charitate profudit.

℟. Inveni David ſervum meum oleo ſancto meo unxi eû: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

ABſtinentia fuit incredibili, frugali menſa utens, uſum carnis ſibi perpetuò interdixit. Corpus non cilicio ſolum, flagriſque, ſed graviſſimo etiam plumbi pondere, à cervice ad talos catenſo affligebat, lapideque capiti ſuppoſito, in lectulo humi ſtrato cubabat. A Nicolao Primo Pontifice Romam accerſitus, magno honore eſt habitus; ac Lateranenſi in Synodo, unà cum aliis Patribus, tertio loco aſſidens, Joannem Raven-

Digitized by Google

natem inſanientem antea contra Eccleſiam, qui poſteà reſipuit, confutavit. Neapolim regreſſus, à Sergio fratris filio, none impietatis homine, Athanaſii objurgationes indignante, der ruſus in carcerem, indeque Cleri opera cum univerſæ Civitatis gaudio ereptus eſt.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

CONſtanter deinde obluctans iniquis contra Eccleſiaſticam libertatem poſtulationibus Sergii, ejus opera depulſus è ſede, unumq; menſem ſupra viginti coactus exulare, plurimas per id temporis ærumnas perpeſſus eſt; quibus tandem confectus, Veruli obiens cœleſtem in Patriam receptus eſt, ætatis anno quadrageſimo primo, Idibus Julii, poſt Chriſtum natum octingenteſimo ſeptuageſimo ſecundo. Corpus miraculis clarum, Caſſinum priùs in montem, mox Neapolim, quinto poſt obitum anno, integrum adhuc repertum, ſolemni ſupplicatione translatum eſt; cujus translationis memoria nonis Aprilis anniverſaria feſti ritate recolitur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. Alleluja.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noct. homil. in Evangel. Homo peregrè. *Veſp. de feſto, comm. B. M. V. de Monte Carmelo, comm. S. Athanaſii.*

Die 24. Julii.

IN FESTO SANCTI LIBORII

Epiſc. & Conf. in Civit. Neap. ſemid. ad libit.

Omnia de commun. Conf. Pont. præter ea, quæ hic habentur.

Oratio.

EXaudi, quæſumus Domine, preces noſtras, quas in B. Liberii Confeſſoris tui, atque Pontificis ſolemnitate deferimus: & qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis, ab omnibus nos abſolve peccatis. Per Dominum, &c.

Ad hymn. Meruit ſupremos.

In 1. Noct. lect. de ſcript. occur.

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

LIborius honeſtis parentibus in Gallia natus, & ab ineunte ætate caducarum rerum illecebras averſatus, egregiam Indolem præclaris moribus, & humanarum, ſacrarumque literarũ ſtudiis adeò diligenter excoluit; ut proceſſu tẽporis probitatis, ac ſapientiæ proficiens incrementis, maturitatem virilis ornaret ætatis. Clero adſcriptus, ac Officiis functus Eccleſiaſticis, ampliùs totum ſe Divino cultui mancipavit: ſtuduitque cunctos actus, cogitationeſque ſuos ità ad rationis normam dirigere, ut nihil appeteret pœnitendum. Modeſtia, itaque abſtinentia, caſtimonia, aliiſque virtutibus conſpicuus. Pavacio Cenomanenſi Epiſcopo defuncto, unanimi Civitatis conſenſu, quartus ejuſdem Sedis Antiſtes ſufficitur.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eũ: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo: & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

EA dignitatis acceſſione nihil interiùs immutatus in concreditæ ſibi Domini vineæ excolendæ totus fuit. Aſſidua prædicatione, vitæ innocentis exemplo, & effuſa in pauperes charitate præcipuè inſignis, Populi mores reformavit, ac potens in opere, & ſermone multos integritati vitæ, fideique reſtituit. Domus Dei decorem, & cultum egregiè promovit, ædificatis ſeptendecim Eccleſiis, in quibus pro jugi Divinorum Officiorum celebratione, & affluentibus Populis Sacrorum diſpenſatione, diverſi ordinis miniſtros inſtituit. Tandem quadraginta novẽ annis in Epiſcopatu ſanctiſſimè tranſactis, obdormivit in Domino, decimo kalendas Auguſti. Eum in cilicio decumbentem, & ad cœleſtem Patriam anhelantem B. Martinus Turonenſis Epiſcopus ab Angelo monitus inviſit, mortuùmque in Suburbana Eccleſia honorificè ſepelivit, ubi multis poſteà miraculis coruſcavit.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

VErùm poſt debellatam à Carolo Magno Saxoniam, & Chriſti jugo ſubactam, Badaradus Secundus Paderbonæ in Veſtphalia Epiſcopus, cum adhuc rudem in Fide populum ad avitas Gentilium ſuperſtitiones ſeſe convertentem animadverteret, quò illum ab ejuſmodi erroribus per novum Patronum, ac Interceſſorem apud Deum revocaret; Divino monitu ab Aldrico Cenomanenſi Antiſtite Liborii corpus impetravit, & maxima cum celebritate ſuſcepit Anno ſalutis octingenteſimo trigeſimo ſexto. Sacræ Reliquiæ, cum transferentur, omnes illas regiones, mira ſignorum frequentia illuſtrarunt, quæ cum fama in dies percrebeſceret, magnum ubique Liborii nomen eſſe cœpit. Sed ejus virtutis contra Nephriticos dolores præcipuè clareſcit, continuis teſtata beneficiis, ob quæ peculiari Fidelium pietate multis in regionibus celebratur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum. ℣. Iſte eſt qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noct. homil. in Evang. Vigilate.

Miſſa Sacerdotes, *de commun. Conf. Pont.*

Die 3. Auguſti.

IN FESTO SANCTI ASPRENI

Primi Epiſc. & Patr. Neap.

In 1. veſp. omnia de commun. Conf. Pont.

Oratio

DEus, qui B. Aſprenum ab Apoſtolo Petro baptiſmo luſtratum, primum nobis Antiſtitem conſtituiſti; præſta ſupplicibus tuis, ut Fidem, quam per eum accepimus, bonis operibus comprobemus. Per Dominum, &c.

In 1. noct. lect. de Epiſt. Dixit Pauli Fidelis, *ut in commun.*

In 2. noct. *Lectio iv.*

ASprenus primus Neapolitanæ Eccleſiæ Antiſtes ab Apoſtolorum Principe conſtitutus fuit. Cum enim is Antiochia Romam proficiſcens, Neapolim appuliſſet, invenit honeſtam mulierem Candidam nomine, quæ ab eodem ægritudine priùs liberata, & luſtrata baptiſmate, oravit deindè Sanctum Apoſtolum, ut Aſpreno probo viro ſibi conſanguinitate conjuncto, diuturno jam morbo laboranti, idem quod ſibi beneficium impertiretur, ut nõ tantùm ſanguinis, ſed Religionis cognatione conjungerentur.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eũ: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

ANnuit Petrus Candidæ precibus, eiq; injunxit, ut apprehenſa ægri dextera ſuo nomine juberet, incolumem è ſtrato cõſurgere. Quod cum mulier feciſſet, Aſprenus illicò ſanus ad Beatum Petrum acceſſit; à quo veræ Fidei myſteriis initiatus, ſalutari lavacro fuit ablutus; & cum Candida miſſæ ſacrificio interfuit, dum Apoſtolus ipſe ſacra operaretur in loco, quem poſteà Petri Aram nuncupatum, atque ob tantæ rei memoriam, maximo in honore ſemper habitum, tùm Neapolitani Reges privilegiis plurimis, tum Pontifices ſummi ampliſſimis indulgentiis locupletarunt.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

PEtrus autem Romam diſceſſurus Neapolitanæ Eccleſiæ Aſprenum primum Epiſcopum præfecit, qui divinum magiſtrum imitatus, populum ſuæ curæ, & directioni traditum, exemplis, prædicatione, miraculiſque ſic erudivit, excoluitque: ut Fidem, & Jeſu Chriſti doctrinam, ab Apoſtolorum Principe acceptã, intactam ſemper, illibatamq; conſtantiſſimè ſervarit. Donec Aſprenus annis plenus, ac meritis, emigraret ad Dominum, ſub annum Chriſti non ſeptuageſimum nonum; ſepultuſq; nunc colitur maximo in Templo, ubi Sancti Petri baculus ſervatur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. Noct. homil. in Evang. Homo peregrè.

In 2. Veſp. comm. S. Dominici.

Die 4. Auguſti.

IN FESTO S. DOMINICI.

Conf. Patr. Civit. & Regni Neap. dupl.

Omnia cum ejus octava, ut in libello ss. Civitatis, & Regni Neapolitani.

Die 7. Auguſti.

IN FESTO S. CAJETANI

Patr. dupl.

Omnia ut in libello, ut ſup. lect. verò 1. noct. Juſtus.

Die 12. Auguſti.

IN FESTO S. CLARÆ

Virg. Patr. dupl.

Lect. 1. Noct. De Virginibus.

Lect. 2. Noct. prop. reliq. ut in Breviario.

Die

Digitized by Google

Die 26. Auguſti.

IN FESTO S. PATRICIÆ

Virg. Patronę dupl.

In 2. Veſp. S. Bartholomęi Apoſt. com. S. Patriciæ. Ant. pb. Veni ſponſa, &c. ℣. Specie tua, &c. *de commun. VV.*

Oratio.

DEus, qui Beatam Patriciam Virginem, terrena omnia contemnentem, cæleſtis gloriæ corona decoraſti: concede, ut ejus exemplo, temporalia cuncta deſpicientes, ſempiternis gaudiis perfruamur. Per Dominum, &c.

Deinde fit com. S. Zephyrini. Pp. m.

Lect. 1. Noct. De Virginibus, *ut in comm.*

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

PAtricia Virgo Conſtantinopolitana, Imperatorum orta ex genere, à teneris annis Jeſu Chriſti amore ſuccenſa, totam ſe Deo dedere, illique perpetuam devovere virginitatem ſtatuit. Invita à Conſtantino Imperatore, Viro apprimè nobili deſponſata, inito cum Aglaja nutrice ſua conſilio, profuſiſque ad Deum precibus clàm ex Urbe nuptiarum celebritatem fugiens, ſeceſſit; & cum Ancillis, & Eunuchis navim conſcendit, Sanctorum Apoſtolorum limina, caſtimoniæ ſuæ perfugium aditura. Cognita fuga, validæ triremes ab Imperatore, ſed fruſtrà expediuntur; navigium namque in quo Patricia vehebatur, non longe remotum, oculos inſequentium fugit, quos tempeſtas ſuborta Bizantium redire coegit.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiā: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna. Et deducet te.

Lectio v.

AB hoc diſcrimine divinitùs erepta, Neapolim primum appulit: Templa omnia religioſiſſimè inviſit; Baſilianum verò Cœnobium Sanctis Nicandro, & Marciano ſacrum, ſingulari pietate, coluit; impreſſoque in pariete Crucis ſigno ibidem ſe fore tumulàdam, monachos aliò commigraturos, prænunciavit. Romam poſteà profecta, à Liberio Summo Pontifice Virginitatis velo inſignita, cœleſtem vitam cum aliis Virginibus duxit. Admonita de Conſtantii obitu, non ſine ſuorum Civium admiratione, ac veneratione Conſtantinopolim revecta fortunis omnibus, pompiſq; pro Chriſto à ſe abdicatis, domeſticum patrimonium pios erogavit in uſus: illaque tantùm reſervata pecunia, qua virginum Cœnobium conderetur.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lętitię.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam, Propterea.

Lectio vi.

TUm ſacra Paleſtinæ loca miro peragrandi deſiderio flagrans, maritimorum aggreſſa iter, ventorumq; vi Neapolim repulſa, in Caſtrum Lucullanum a navi deſcendit, ubi ſupremo correpta morbo, antea ſtam ſanctiſſimè vitam fœliciſſimo coronavit exitu octavo Kalendas Septembris circa annum trecenteſimum ſexageſimum quintum. Aglaja nutrix in ſomnis ab Angelo admonita, ſacrū Virginis corpus currui, à Tauris indomitis tracto, impoſuit, qui, duce nullo, ad Sanctorum Nicandri, & Marciani ædem ſteterunt, ibique fuit honorificè conditum, ubi conſtructum deinde auguſtum Templum, Sacrariumq; Virginum domicilium Sanctę Patricię nomine nuncupatum. Sanguis ejuſdem vitreo in vaſe concretus, è regione virginei dentis expoſitus ebullire ad hoc uſque tempus cernitur. Neapolitana Civitas tanto, ditata theſauro, & munita patrocinio, ſacram Virginem reliquis ſuis Tutelaribus numeravit.

℟. Afferentur Regi Virgines poſt eam, proximæ ejus: * Afferentur tibi in lętitia, & exultatione.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Afferentur. Gloria. Afferentur.

In 3. Noct. homil. in Evang. Simile decem, *de commu. 9. lect. & com. 1. Zephyrini.*

In 2. veſp. comm. S. Ludovici conf.

Die 29. Auguſti.

IN FESTO DECOLLATIONIS

S. Joannis Baptiſtæ Patr. dupl.

Omnia ut in Breviario.

FESTA SEPTEMBRIS.

Die 4. Septembris.

IN FESTO S. CANDIDÆ SENIORIS

Primæ Chriſtianæ Neap. Semidupl.

In 1. Veſp. omnia de commun. Mulierum Sanctarum.

Oratio.

DEus qui per Beatam Candidam per Apoſtolorum Principem Fidei lumine illuſtrare dignatus es: tribue quæſumus, ut ejus ſuffragantibus meritis, æternę glorię tuę beato lumine perfrui mereamur. Per Dominum, &c.

In 1. Noct. Lect. de ſcript. occur.

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

CAndida Neapolitana, claris exorta parentibus, ſed longè clarior, quia Principem Apoſtolorum ſuſcepęſ fidei Parentem ſortita eſt Petrum, cui ex Antiochenā Sede ad fundandam Romanam Eccleſiam in Italiam naviganti, ubi Neapolim appulit, prima occurrit; & corporis ægritudine repentè levata, vitali fonte Baptiſmatis regenerata eſt. Tam inſigne beneficium, & Religionis, & ſalutis, non in ſe ſolam recipi, atq; marceſcere paſſa eſt, ſed ſuos in Cives, & conſanguineum Aſprenum Neapolitanorum Antiſtitū beatum Anteſignanū, ut abundè proflueret ab Apoſtolo Principe exoravit, cui etiam ad Aras operanti, & adfuit Candida, & ejuſdem e manibus immortali recepto Epulo recreata. Denique ſanctitatis compendium nacta, devexa jam ætate; & annis, & meritis plena, beatam vitæ finem impoſuit pridie nonas Septembris, anno ſalutis ſeptuageſimo octavo.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & Pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Et deducet.

Lectio v.

Ex lib. S. Ambroſii Ep. de Viduis.

AGrum hunc Eccleſię fertilem cerno, nunc integritatis flore vernantem, nunc viduitatis gravitate pollentem, nunc etiam conjugii fructibus redundantem. Nam etſi diverſi, unius tamen agri fructus, ſunt; nec tanta hortorum lilia, quantæ ariſtę ſegetum, meſſium ſpicę, compitiviumque ſpatia camporum recipiendis aperiuntur ſeminibus, quam redditis novales fructibus feriantur. Bona ergo viduitas, quæ toties Apoſtolico judicio prędicatur. Hęc enim magiſtra fidei, magiſtra eſt caſtitatis.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lętitię.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Propterea.

Lectio vi.

UNde, & illi, qui decorum ſuorum adulteria, & probra venerantur, cœlibatus, & viduitatis ſtatuere pœnas, ut æmuli criminum multarent ſtudia virtutum, ſpecie quidem, quaſi fœcunditatem quærerent, ſed ſtudio, quo propoſitum caſtitatis abolerent. Nam confectis, & miles ſtipendiis, arma deponit, & relicto officio quod gerebat, ad propria veteranus rura dimittitur, ut & ipſe exercitæ laboribus vitæ requiem conſequatur; & alios ſpes futuræ quietis ſubeundis faciat operibus promptiores. Agricola quoque maturæ ætatis requiem aliis ſilvam committit, & juvenili gravatus opere providentiā curæ ſenilis explorat: vitem facilius tondere, quàm premere, ut juveneſcentem luxuriam reprimas, & adoleſcentem laſciviam falce ſuccidas parcorum quandam partum caſtitatem docens etiam in vitibus expetendam.

℟. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo: * Mulier timens Deum, ipſa laudabitur.

℣. Date ei de fructu manū ſuarum, & laudēt eā in portis opera ejus. Mulier. Gloria. Mulier.

In 3. Noct. homil. in Evang. Simile theſauro.

Veſper. de S. Candida Juniore dupl. nec vir. nec mart. comm. S. Candidæ Senioris. Antiph. Manum ſuam, &c. ℣. Diffuſa, *de commu. Orat. ut ſup.*

Die 5. Septembris.

IN FESTO S. CANDIDÆ JUNIORIS

Patr. duplex.

Oratio.

DEus, qui Beatæ Candidæ inter blandimenta ſeculi candorem innocentiæ conſervaſti: concede, ut nos quoque ejuſdem exempla ſectantes, cœleſtis glorię conſortium aſſequamur. Per Dominum, &c.

In 1. Noct. Mulierem *de commu.*

In 2. Nocturno. *Lectio iv.*

CAndida Junior quingentis poſt ſeniorem alteram annis Neapoli in Campania è nobili Brancaciorum familia nata eſt, virtute tamen præſtantior, quàm genere. A prima ætate totam ſe Chriſtianæ diſciplinæ operibus addixit, ſumma in Parentes obſervantia, profuſa in pauperes benevolentia: quod pietatis ſtudiū in connubio quoq; conſtantiſſimè retinuit, cæteris matronis integrè, ſanctèque vivendi abſolutum ſe præbens exemplar. Cœleſtium rerum contemplationi, Templiſque inviſendis aſſidua, à corporis ornatu, veſtiumque cultu maximè abhorruit. In diſſidiis componendis arbitra; in ſeipſam tantùm excandeſcere jejuniis, aliiſque pœnitentiis viſa, ut omnis carnis illecebras excinderet, atque animi innocentiam tueretur.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiā: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, proſpere procede, & regna. Et deducet te.

Lectio v.

UNico, quem ſuſceperat filio, & cōjugi, diuturno, gravique morbo laborantibus, quòd minus morti maturos, ac paratos videret, nuncupatis Deo precibus, velut alienæ ſalutis victima, id impetravit, ut pro dilecto illis moriendi tempore, vivendi ſibi tempus contraheretur. Voti igitur compos, in ægritudinem incidit, qua tandem interiit quinquageñaria pridiè nonas Septembris, eodem die, quo Senior Candida ad Cœlum evecta, ut imitatione pietatis ſimilis, ità conſors, & gloriæ. Demortuum corpus in Sancti Andreæ Templo honorificè conditum eſt. Obiit Pelagio Secundo Pontifice, Mauritio Imperatore.

Digitized by Google

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.
℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Propterea.

Lectio vi.

Ejus ſanctitatem diù reconditam, plurimis tandem miraculis teſtatam voluit Deus: liquor enim è ſacro Corpore emanavit, variis morborum generibus utilis, atque vivificus. Præſentiſſimam opem in primis expertus Paralyticus, qui tremebundus, ac ſemimortuus ad ejus tumulum delatus, ſumma populi admiratione ſanitati redditus, è veſtigio domum incolumis regreſſus eſt. Ullum etiam loquelæ Mutus excepit, beneficium alta voce confeſſus, aliaque admiranda permulta ejus meritis à Deo patrata. Sacræ Reliquiæ in Æde quoq; Divi Angeli ad Nilum nuncupata religioſè anniverſaria pompa coluntur.

℟. Fallax gratia, & vana eſt pulchritudo * Mulier timens Deum, ipſa laudabitur.
℣. Date ei de fructu manuum ſuarum, & laudent eam in portis opera ejus. Mulier. Gloria Patri. Mulier.

In 3. Noct. homil. in Evang. Simile Theſauro. *Miſſa* Cognovi.

Die 19. Septembris.
IN FESTO SANCTI JANUARII
Epiſc. & Mart. Præcipui Patr.
Civit. & Regni Neap. dupl.

Omnia cum ejus Octava, ut in libello *ss. Civitat. & Regni Neapolitani.*

Prima die non impedita fit de ss. Feſto, & fiet S. Januarii ſimul.

Die 29. Septembris.
IN FESTO DED. S. MICHAELIS ARCH.
Patr. duplex.
Omnia, *ut in Breviar.*

F E S T A O C T O B R I S.
Die 1. Octobris.
IN FESTO S. GREGORII ARMENI
Epiſc. & Mart. Patr. dupl.

Ad Veſper. Ant. Gaude Mater Eccleſia, *cum reliq. de laud. pſal. de commun. un. mart.*

Capitulum. *Jacob. 1.*

Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.

Hymn.

Lux ò decora Gregori,
Noſtris refulge mentibus,
Te prævio videbimus
Solem perennem gratiæ.
Tu clara gemma Præſulum
Excellis inter Martyres
Longos per anni circulos
Tormenta paſſus horrida.
Tu voce curans corpora,
Cæcaſque mentes inclytus
Illuminans miraculis,
Nutu fugaſti dæmones.
Bonis procul fugacibus
Amplexus es cœleſtia,
Spretoque mundo, Cœlitum
Gaudes petitis præmiis.
Deo Patri ſit gloria,
Ejuſque ſoli Filio
Cum Spiritu Paraclito
Nunc, & per omne ſeculum. Amen.

℣. Gloria, & honore coronaſti eum Domine.
℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Ad Magnif. Antiph. O Lux Eccleſiæ, Doctor veritatis, Pontifex Armeniæ, norma charitatis, Prædicator gratiæ, deprecare pro nobis Filium Dei. Alleluja.

Oratio.

Deus, qui per B. Gregorium Pontificem, & Martyrem tuum Armeniæ gentis populum, Regèq; veræ fidei lucem recipere tribuiſti: da Eccleſiæ tuæ de tantis gaudere triumphis, & apud te meritis ejuſdem, & precibus adjuvari. Per Dominum, &c.

Deinde fit comm. S. Hieronymi, & S. Remigii Epiſc. & Confeſſ.

Ad Matutinum.

Invitat. Regem Martyrum Dominum. Venite adoremus.

Pſal. Venite.

Hymnus. Lux ò decora, *ut ſup.*

In 1. Noct. Antiph. Probatus in Chriſto, & perfectus inventus eſt, ideò data eſt illi gloria æterna.

Pſal. Beatus vir, *cum reliq. de commun. un. mar.*

Antiph. Præcepto Regis non obedivit Gregorius, coronas laureas diis offerri præcipientis.

Pſal. Quare fremuerunt. *Antiph.* Præco ſalutis doctrina Evangelica Armenos erudivit.

Pſal. Domine quid multiplicati.

℣. Gloria, & honore coronaſti eum Domine.
℟. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.

Lect. 1. Noct. A Mileto, *cum* ℟℟. *de commun. un. m.*

In 2. Noct. Antiph. Suſpenſus in equuleo Gregorius laudabat Dominum Salvatorem.

Pſal. Cum invocarem.

Antiph. Glorificavit eum Dominus in conſpectu Regis, & oſtendit illi gloriam ſuam.

Pſalm. Verba mea.

Antip. Quaſi Sol refulgens, ſic effulſit Gregorius in Templo Dei.

Pſalm. Domine Dominus noſter.

℣. Poſuiſti Domine ſuper caput ejus.
℟. Coronam de lapide pretioſo.

Lectio iv.

Gregorius Armeniæ Regibus ortus, cũ Patris Anaci tota familia ad necem uſq; quæreretur, infans clàm ereptus, Cæſareæ Cappadociæ educatus eſt. Adoleſcens Chriſtianam legẽ unà cum baptiſmo ſuſcepit, duoſq; ex legitima uxore genuit filios, Orthânem, & Ariſtanem, quos adeò in fide Chriſti erudivit, ut ſanctiſſime uterque vitam finierit. Seceſſerat Cæſaream Teridates Curſari olim Armeniorum Regis ab Anaco dolose interempti filius, à Perſis ditione paterna ſpoliatus, cui Gregorius, non ignorans paternũ ſcelus, ſeſe in ſervitutem tradidit, & cum eo in Armeniam, reſtituto ei à Romanis Regno, poſt multos annos rediit. Ibi à Teridate ſæpius tentatus, ut Idolis ſacrificare vellet, cum renuiſſet conſtantiſſime, innumera tormentorum genera ſubire coactus eſt, ut penè incredibilia videantur.

℟. Honeſtum fecit illum Dominus, & cuſtodivit eũ ab inimicis, & à ſeductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.
℣. Deſcenditq; cum illo in foveã, & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

Lectio v.

Nam primò deducitur in teterrimum carcerem: in eo ejus lignum immittitur, quod violentiſſime ab inferiori parte ſuperiorẽ diſjungeret; onerantur humeri glebis ſalis, qui apud Armenos eſt foſſilis: funibus ſanctũ corpus ſtrigatũ in ſublime trahitur: poſt diẽ ſeptimũ è ſublimi demittitur, altero pede ſuſpenſo, & igne admoto, fimoq; ſuppoſito: virgis interea ſæviſſime cæduntur crura tabulis, & fune conſtringuntur, ita ut effluxeret ſanguis per ſummos pedes, qui clavis confixi celerrare greſſus mox coguntur: caput fabrili quodã inſtrumento interceptũ comprimitur: per fiſtulã è naſo ad cerebrũ ſal aceto mixtum, & nitrũ transfunduntur: calatho fuliginis pleno caput ipſum obruitur, ut ſuffocaretur; ferreis ungulis excarnificatur latera, & a ſubjectis muricibus ferreis immaniſſime cruciatur; genua tibialibus ferreis veſtiuntur, quæ cum eis item ferreis obfirmantur: plumbum liquefactum in os ejus infunditur: ſed invictus Gregorii animus Chriſti fide, ſpeque munitus, tormentis non ceſſit unquam, & divina virtute ſanatus, conſtanter prædicabat Chriſtum. Unde Teridates actus in rabiem ob patris etiam necem, quam poſteà cognovit ab Anaco factam, ligatum collo, manibus, & pedibus, in lacum Artaxat eum deiici jubet moriturum.

℟. Deſiderium animæ ejus tribuiſti ei Domine: * Et voluntate laborum ejus non fraudaſti eum.
℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: poſuiſti in capite ejus coronam de lapide pretioſo. Et voluntate.

Lectio vi.

Poſt annos quatuordecim divina providentia factum eſt, ut Teridates, quaſi alter Nabuchodonoſor probatus, Gregorii velut redivivi ſeſe ad pedes abjecerit, quem cum Satrapis Regni, myſteriis initiatum, jejunio longo purgavit, narrata cœleſti viſione recreavit, & miraculoſa diverſarum ægritudinum curatione confirmavit. Quare propriam deteſtatus Rex contra etiam crudelitatẽ, ipſemet Deorũ templa deſtruxit, Eccleſias verò Deo ædificavit, pretioſas veſtes, prædia, theſauros pro divino cultu elargitus. Expetiebat Rex Gregorium Epiſcopum, quem dubitantem Angelus è Cœlo animavit ad onus, & à Leontio Cæſareæ Epiſcopo, rogãte Rege, conſecratus eſt. Armeniæ fines, cum rediret, vix ingreſſus, oratione ſua templum Herculis à fundamẽtis evulſit, & alterum erexit, in quo S. Joannis Baptiſtæ, & martyris Athenogenis ſacras reliquias collocavit. Ingentem hominum multitudinem baptizavit, exorta in cujuſq; capite mirifica cruce. Aperuit ſacrarum lyterarum gymnaſia. Perſis, Aſſiriis, Hunnis, & Mediis ad Chriſtianam Rempublicam adeuntem ſuit, quibus, & Epiſcopos dedit, & Sacerdotes, & Monachos, multis ab eo ædificatis Monaſteriis. Tandem quietis, & ocii divini cupidiſſimus. Ariſtane filio, petente Rege, ſibi ſuffecto, in ſolitudinem cum paucis alumnis abiit, ubi jejunio planè admirandi, & contẽplationi deditus, obdormivit in Domino plenus dierum, Conſtantino Magno Imperatore. Ejus ſacras reliquias Chriſtiani ex Armenia ab hoſtibus capta fugientes, in Italia tranſtulerunt, & Neapoli ſacrum ejus caput cum catenis, quibus vinctus, & virgarum fragminibus, quibus cæſus fuerat, depoſuerũt in nobili Eccleſia in ejuſdẽ honorẽ erecta: Brachium verò in Eccleſia Cathedrali Neritonenſi, cujus Cives Sancti viri miracula ſæpius experti, præſertim in impetrando à Domino pluviis, eum demum ſibi Patronum elegerunt.

℟. Stola jucunditatis induit eũ Dominus: * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput ejus.
℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potavit illum. Et coronam. Gloria. Et coronam.

Digitized by Google

In 3 Nocturno.

Antiph. Fuit magnus in Armenia magna, miſſus in ſalutem Electorũ Dei.

Pſalm. In Domino confido.

Antiph. Directus eſt divinitùs in pœnitentiam gentis, & tulit abominationem impietatis.

Pſalm. Domine quis habitabit.

Antiph. Virtutes multas, & miracula per Beatum Gregorium Dominus fecit, alleluja.

Pſalm. Domine in virtute tua.

℣. Magna eſt gloria ejus in ſalutari tuo.

℟. Gloriam, & magnum decorem impones ſuper eum.

Lect. de homil. in Evang. Si quis venit ad me, *de eodem commu.*

℟. Gaudet in Cœlis B. Gregorius Armeniæ Pontifex gloria, & honore coronatus: * Qui pro Chriſti nomine varios, & graves ſuſtinuit cruciatus.

℣. Dedit illi Dominus fortitudinem, & uſque in ſenectutem permanſit illi virtus. Qui pro. Gloria. Qui pro.

Nona lect. de S. Remigio.

Ad Laudes, & per Horas,

Antiph. Gaude Mater Eccleſia, adſunt feſta ſolemnia Armeniæ Pontificis, & Martyris Gregorii.

Pſalm. Dominus regnavit, *cum reliq. de Domin.*

Antiph. Lapide ad collum ligato prædicabat Gregorius Dominum Jeſum Chriſtum.

Antiph. Sollicitus Paſtor Gregis Chriſti fuit Gregorius, ac ſtrenuus dæmonum debellator.

Antiph. Idolorũ templa deſtruxit, & ſanctis martyribus nobiles Baſilicas ædificavit, alleluja.

Antiph. O lux Armeniæ, qui martyrio coronari, & inter Pontifices numerari digne meruiſti.

Cap. & Hymn. ut in 1. veſp.

℣. Juſtus, ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Ad Benedictus.

Antiph. O paſtor egregie Gregori, lux Armeniæ, qui radiante lumine cũ Angelorũ agmine Regem vidiſti gloriæ, vota precantium ſuſcipe, qui laudes tuas hodie perſonant, alleluja.

Deinde fit comm. S. Remigii.

In 2. veſp. omnia, ut in primis.

℣. Juſtus, ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

Antiph. O Gregori, martyr Chriſti eſto memor noſtri, ut tuis precibus adjuti æterna gaudia mereamur conſequi, allel.

Deinde fit comm. SS. Angelorum Cuſtodum, ut in Breviario.

Die 4. Octobris.

IN FESTO SANCTI FRANCISCI

Conf. Patr. dupl.

Omnia, ut in Breviario.

Die 10. Octobris.

IN FESTO SANCTI FRANCISCI BORGIÆ

Conf. Patr. dupl. 2. claſſ.

Lect. 1. Noct. Juſtus.

Lect. 2. Nocturn. prop.

Lect. 3. Noct. hom. in Evang. Ecce nos reliquimus *de commun. Abb.*

In 2. veſp. commem. S. Ludo vici Bert. Conf.

Die 14. Octobris.

IN FESTO SANCTÆ FORTUNATÆ

Virg & Mart. dupl.

Omnia de commun. virg. & mart. præter lectiones 2. Noctur. quæ hic habentur.

Oratio.

DEus, qui inter cetera potentiæ tuæ miracula etiam in ſexu fragili victoriam Martyrii contuliſti: concede propitius, ut qui B. Fortunatæ virginis, & martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exẽpla gradiamur. Per Dominum, &c.

In 1. Nocturno lectiones de Script. occur.

In 2. Nocturno.

Lectio iv.

FOrtunata virgo Cæſareæ in Paleſtina nobili genere nata, Fratres habuit, eoſdemq; Fidei Magiſtros, Carponium, Evariſtum, & Priſcianũ, quibus unà cum alijs in perſecutione Diocletiani ſub Urbano Præſide comprehenſis, cum limina carceris pia Soror frequentaret, ut qualecumque valeret, auxilium Chriſti confeſſoribus præberet, Judici delata in vincula conjicitur. In ipſa, cum impiæ Matris conatus, proceſſque nefarias, tum Præſidis minas, & oblatas illi nuptias, velut hoſtes Fidei, ac Martyrij, quod unicè conceperat, conſtantiſſime ſuperavit. Cum autem in interiora carceris penetralia, ubi Fratres, & Socios detinere cognoverat, à Cuſtodibus admitti obtinuiſſet, ac mutuis ſe ſe orationibus, rerumq; Divinarum colloquiis, ad ultimum Fidei certamen confirmarent: Vox de Cœlo reſonuit, quæ omniũ vota nunciabantur exaudita, & alijs quidem per leviora tormenta, Fortunatæ verò per longe diuturniorem agonem Martyrii corona ſpondebatur.

℟. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam: * Et deducet te mirabiliter dextera tua.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende proſperè procede, & regna. Et deducet te.

Lectio v.

SÆviente igitur Urbano, fortiſſima Virgo capillis divulſis, & veſtibus per ignominiã dilaceratis, per Urbem circumducitur: Moxque ferreis, acutiſque ferræ dentibus mediam ſecare tortores aggreſſi, carnem ejus Divinitùs obduratam, nunquam lædere potuerunt. In Amphytheatro feris objecta, nõ modò illæſa permanſit, ſed Leonem ferociſſimum in Præſidem irruentẽ, ſolo imperio coercuit: quo tamen beneficio nihilo mitior redditus Tyrannus tales eidem terebrari, clavisq; confici, ac tandem poſt equuleum ignesq; ſuperatos, caput amputari præcepit. Ea ſententia primùm in Fratres executioni demãdata eſt. Sed cum ad Fortunatam lictor accederet, viſis repente Angelorum, & Virginũ Choris, territus obriguit animo ſimul, & viribus deſtitutus. Illa verò repetitis de Cœlo vocibus ad coronam evocata, poſt brevem orationem invictum ſpiritum Deo reddidit, & ibidem una cum Sanctis Fratribus à Chriſtianis ſepelitur.

℟. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.

℣. Propter veritatem, & manſuetudinem, & juſtitiam. Propterea.

Lectio vi.

SAnctorum Martyrũ corpora clàm inde ſubducta, tranſvehentibus quibuſdam nautis, ecce Angeli de Cœlo deſcendentes in prora Navis conſederunt, Davidicum illud concinentes: Gloria hæc eſt omnibus Sanctis ejus. Ad hæc mire conſternati quotquot aderant ab ipſamet Fortunata Beatiſſima inter Angelos apparente, bono animo jubentur eſſe, illos itineris duces à Deo Miſſos habituri. Ipſis itaque præſentibus Campaniæ littus feliciter appulit, ſacra Martyrũ Lipſana depoſuere: quæ Plurimis coruſcantia miraculis ibidem tandiù quievere, donec regione à Vandalis, Mauriſq; devaſtata Stephanus Neapolitanus Epiſcopus eam Neapolim transferri curavit, Adriano Primo Summo Pontifice, Conſtantino, & Irene Imperantibus. Porrò ſedente Pio IV. venerabiles Reliquiæ iterùm inventæ ſunt in Eccleſia Sanctimonialium S. Gaudioſi, in qua ad hanc uſque diem pridie Idus Octobris magna Populi veneratione coluntur.

℟. Afferentur Regi Virgines poſt eam, proximæ ejus: * Afferentur tibi in lætitia, & exaltatione.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua, intende, proſpere procede, & regna. Afferentur. Gloria. Afferentur.

In 3. Noct. homil. in Evang. Simile decem, *de eod. commune.*

Miſſa Loquebar. *Pro virgine, & martyre. Oratio ut ſupra.*

Die 15. Octobris.

IN FESTO S. THERESIÆ

Virg. Patr. Neap. Dupl.

Omnia, ut in propr. ſed lect. 1. Noct. De Virginibus, &c. *ut in commu. VV.*

FESTA NOVEMBRIS.

Die 9. Novembris.

IN FESTO S. AGRIPPINI.

Epiſ. & Patr. Neap. Dupl.

Omnia de commu. Conf. Pontificis, præter ea, quæ hic habentur propria,

Oratio.

DEus, qui Gregem tuam ab inſidiis hoſtiũ Fidei, B. Agrippini Confeſſoris, atq; Pontificis paſtorali ſollicitudine præſervaſti: da nobis quæſumus, ejuſdem ſuffragantibus meritis, inter oves tuas nos perpetuò cuſtodire. Per Dominum, &c.

In 1. veſp. fit comm. divi Andr. Avellini Conf. & S. Theodori mart. ut in Brevia.

In 1. Nocturno.

Lect. de Epiſt. Divi Pauli Fidelis, *ut in comm.*

In 2. Nocturno.

Lectio iv.

AGrippinus Neapoli in Campania natus, & prima ætate Chriſtianis myſteriis, bonisq; moribus imbutus, futuræ Sanctitatis ſpecimen dedit. Orbatus Parentibus, Chriſti conſilium ſequutus, vix ſibi neceſſariis retentis, bona pauperibus elargitus eſt; paternam etiam domum in Oratorium converſa, eo ſitam loco, in quo poſtea extructa Baſilica B. Agrippini nomine dedicata eſt. In demortui Neapolitani Antiſtitis, Antonino Pio imperante, ceſſorem locum evectus præclaris magis, magiſq; virtutibus emicuit, quibus antea in privata vita tã mire effulſerat.

℟. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

Lectio v.

IN paſtorali officio omnes conatus eo intendit, ut divinus cultus augeretur, & Chriſtiana Religio illibata floreret, eo potiſſimum tem-

parte, quo Hæretici falſis doctrinis perdere animas, & Chriſti oves mactare contendebant; ad quos confutandos Sanctus Soter Pontifex Maximus ſalutarem dedit epiſtolam, admonens Agrippinum, alioſq; Campaniæ Præſules, ut providi vigiles caverent, ne clandeſtina perfidiæ lues commiſſos in greges graſſaretur. Quod Sanctus Antiſtes, & prædicatione Divini verbi, & exemplo integerrimæ vitæ ſolertiſſimę præſtitit; multiq; Infideles divinitùs permoti, ejus opera veri Dei cultum, puramq; Religionem ſuſcepere.

℟. Poſui adjutorium ſuper potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David ſervum meum, oleo ſancto meo unxi eum. Manus.

Lectio vi.

Sic ætate, laboribus plurimis, mirisq; virtutibus exacta, migravit ad Dominũ, multis ante, & poſt obitũ miraculis effulgens, quinto idus Novembris, ſecundo poſt Chriſtum natum ſeculo, ſepulcuſq; in cœmeterio extra mœnia, unde in Sancti Salvatoris Templum translatus eſt, confluentibus ad ejus ſepulchrum cultoribus famæ ſanctitatis, & prodigiorum adductis. Cum præſertim viſus quandoq; fuerit unà cum B. Januario adeſſe S. Severo morienti; & Civitati obſeſſæ auxilium ferre de Cœlo. Idcircò Neapolitani Cives, aliquot finitimi Baſilicas, & oppida inſignita Agrippini nomine ædificarunt. Cujus ſacrum Corpus ſub Ara maxima Principis Eccleſiæ nunc venerationi habetur.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cœleſtia Regna. Ipſe. Gloria. Ipſe.

In 3. noct. homil. in Evangel. Vigilate, *9. lect. S. Theodori m. cum ejus comm. in laud.*

In 2. veſp. comm. S. Andreæ Avellini Conf. Pat. *Ant.* Similabo. ℣. Amavit. *Orat.* Deus, qui nos, &c. *de commu. & com. SS. Tryphonis, &c. mm. ut infr.*

Die 10. Novembris.

IN FESTO S. ANDREÆ AVELLINI

Conf. Patr. Neap. dupl.

In 1. Noct. lect. Juſtus, &c. *In 2. Noct.* B. Andreæ dies, &c. *In 3. Noct. homil. in Evang.* Sint lumbi, &c. *de commu.* *9. lect. SS. Tryphonis, &c. mm. & comm. in laudibus.* *In 2. veſp. comm. S. Martini Epiſcop. Confeſſ. & S. Mennæ mart.*

Die 28 Novembris.

IN FESTO BEATI JACOBI

Conf. Patr. Neap. dupl.

Oratio. Deus, qui nos, *de comm. In 1. Noct. lect.* Juſtus, &c. *In 2. Noct.* B. Jacobi dies. *In 3. Noct. hom. in Evang.* Sint lumbi, &c. *de commu. Confeſſ. non Pontif. In 2. veſp. comm. S. Saturnini m.*

LAUS DEO.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google